27
A25

C 12814
Harris, Robt.

27
A25

C 12814 SL
61287

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION

27
A25

C 12814
Harris, Robt.

27
A25

C 12814 SL
61287

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION

B:5.
8.

Concordia Anglicana

DE PRIMATV ECCLESIÆ REGIO;

Aduersus *Becanum*

De Dissidio Anglicano.

Authore

RICARDO HARRIS, SS.
Theologiæ Professore.

Epistola Eleutherij Ro: Pontific. ad LVCIVM *Regem* BRITANNIAE.

Vos estis Vicarius Dei in Regno.

Iustinian. Nouell. 133.

Μηδὲν ἄβατον ἐστὶν εἰς ζήτησιν τοῦ βασιλέως κοινὴν πάντων ἀνθρώπων ἐπιστασίαν ἐκ θεοῦ παραλαβούσῃ.

LONDINI.
Excudebat G. *Hall.* impensis *Richardi Redmer.* 1612.

SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO IACOBO DEI GRATIA, MAGNAE BRITANNIÆ FRANCIÆ & HIBERNIÆ REGI, FIDEI VERE CHRIstianæ, Catholicæ, Apostolicæ, *veterisq; ac Primitiuæ Ecclesiæ* Propagatori ac DEFENSORI.

REX EXCELLENTISSIME,

ANnum Christi circiter 1526. ἡ μίζα πικρίας Ignatius Loyola, ἄνω φύουσα; ex qua, inclinante iam, & in senium vergente mundo, noui cuiusdam, & cæteris inusitati nominis societas, vniuersa (si Dijs placet & Deabus τῆς ἁδῆς) Iesuitarum natio est prognata; qua quidem, infinitis exemplis intelligimus, nihil turbulentius, nihil furiosius, nihil in omni genere,

Martillerius ex Osorio.

Regibus rebusque publicis Christianis pernicioſius exiſtere. Ieſuitarum Conſilio, ſuaſu, inſtinctu, ſæpius impulſu: 1 Animus eſt additus ſceleroſo *Balthaſaro*, vt *Auriacum* Principem *Guillelmum* proditoriè interficeret. 2 Inſignis patriæ vindex *Stephanus Botskay* veneno extinctus eſt. 3 Quorum ſcilicet in officina eſt cuſus culter, quo interfectus eſt *Henricus Valeſius* tertius Rex Galliæ, & ſica qua perijt *Henricus* quartus. 4 Funeſtam ſibi expeditionem Africanam ſuſcepit *Sebaſtianus* Luſitaniæ Rex vltimus. 5 Turbas intempeſtiuas excitauit *Sigiſmundus* Poloniæ Rex, vnde auitum Regnum amiſit. 6 Subditos ſuos in exilium pepulit *Ferdinandus* Archidux Auſtriæ, vnde ipſe poſteà profugus, ditionem ſuam Turcis deuaſtandam reliquit. 7 Adeò dementatus eſt *Guillelmus* Bauariæ Princeps, vt vitam monachicam, Reipublicæ gubernaculo, cum magno Reipublicæ detrimento prætulerit. 8 Ieſuitarum auaritia & ambitione, celeberrima Reſp. Veneta, ad extremas nuper redacta eſt difficultates, vnde tamen prudenter & animoſè ſe expediuit. 9 Ieſuitarum denique conſilio & ſacramento, nefandiſſimi, quos ſol vnquam

vnquam viderit, proditores obfirmati, puluere ſuo pyrio abſtruſe recondito, magnæ Britanniæ Monarchæ Sereniſſimo, Reginæ, Principi, &c. totique Regno, (niſi gratia id auertiſſet & diuina, & ſumma) exitium ac vaſtitatem attuliſſent.

Prima Ieſuitici cætus incunabula, pueros in ampliſſima familia natos, diſciplinis informandos ſibi adſciuerint: ea vt arte, non modo pueros ipſos proſelytas, ſed eorum etiam parentes, (qui mollioribus vlnis liberos ſuos excipere, in ſinu geſtare, fouere in pectore tenerrimo ac planè ſingulari amore complecti ſolent) addictiſſimos ſibi & deuotiſſimos redderent. Illis veluti fibris innixi, fæliciora quæque iuuenilis ætatis, & eminentioris notæ ingenia, ad ſuæ, vtpote purioris ac defæcatioris literaturæ merces, blandimentis ſuis, melle illitis, ſed ipſo felle ſi quis ſapit, amarioribus, velut Syrenum cantu, vndique prolectando; per varios ac multiplices totius orbis Chriſtiani tractus, villas, vrbes, prouincias, regna, imperia, riuis ſeſe quàm plurimis diffuderint; Et fortunæ muneribus cumulati, ſtipendijs inquam ditati ampliſſimis, veluti belli neruis, armis ac

telis validioribus instructi, ad altiora molimina, quasi culmina ascenderint.

Primò, Haud contemnendæ doctrinæ Academicos, circumfusis eorum gregibus vndique obsessos, aggressi sunt (vt scitè is ac eleganter perorauit) fluuiorum instar illorum, qui insulas complecti, ijsque adblandiri videntur, eas tamen paulatim comminuunt, carptim peredunt, totas verò tandem absorbent. Non est necesse, vt recurramus ad vetera exempla, recentia duntaxat, ipsorum imprimis Sorboniſtarum, memoria repetamus; intelligemus profecto, hoc fuisse in omni rep. hoc in Gallia esse Iesuitis propositum, vt Academicos omnes, vel maximè Sorbonicos, possessionibus, suis iniuria pellant, atque in eorum omnium fortunis longè latéque, ac impunè dominentur.

Pet. Hardmil. Icrius.

Secundò, Sacerdotes acriter persecuti sunt Papa-Catholicos, nec priùs destiterint, quam eosdem, non tantum ludibrio expositos, sed exutos ære, contumelijs obrutos effecerint: Nimirum Societatis Iesu, V. G. Christianæ humilitatis, charitatis, pietatis, clarissimi exemplaris, immanis audacia, atque diritas efferata, eos omnes humanitatis limites transilijt,

eò processit impudentiæ, vt salutem suam in Sacerdotum ruina ; gloriam suam in Sacerdotum infamia ; felicitatem denique suam in communi *S*acerdotum calamitate positam esse, et videri voluerint.

Tertiò, Reges etiam ipsos, maximorum scelerũ præclari scilicet isti artifices adoriuntur. Et summum dignitatis suæ splendorem constituunt, in eorum coronis, vel illudendis, vel labefactandis, vel transferendis, vel funditus delendis.

Regum subditis persuadent, se non tam Regum suorum V. G. Papæ vasallorum, quàm Pontificis Romani, supremi in tẽporalibus Domini totius mundi, subditos esse. Hinc impio & incitato animi impetu, auertendi subditorum animos, a sacramento fidelitatis Regibus suis præstando, pestiferas, quas possunt, omnes, ac pernicioſas rationes consectantur. Bone Deus, An tibi hoc, an sanctis tuis æquum esse videatur, vt Reges omnes & Imperatores (qui Paparum reuerâ [a] Domini existunt) *Papis* iam *ipsis iuramento* [b] *fidelitatis & obedientiæ astringantur* ; & natiui Regum subditi, Regibus suis natiuis, præstandi eiusdem fidelitatis iuramenti sanctitate liberentur ? nisi vt illud impleatur, de quo sic *Solomon : In totâ*

a *Grego. Mag. ad Maurit. Imper. l. 2. epi. 100.*

b *Clement. de Iureiur. lib. 2. Tit. 9. ca. Romani Principes*

Eccles. cap. 8. & 10.

hac re vidi, quum adhiberem animum ad omne opus quod fit sub sole, tempus interdū esse, quando dominatur homo in hominem (V.G. Papa in Principem, seruus in Dominum,) *malo suo. Est malum quod vidi sub sole, secundum errorem qui procedit a facie Imperantis, poni ipsam stoliditatem in dignitatibus celsis & amplis, divites verò in ipsa abiectione sidere. Vidi servos insidentes, Principes verò euntes tanquam servos super terram.* Quasi ipsum vidisset

c Greg. Haiburgensis in Apol. Sigismun.

c Papam *Adrianum secundum*, grauiter Imperatori *Frederico* succensum, quòd tam imperitè atque rusticè dextram stapiam retinuisset, cum lævam debuisset; atque ea re commotum, benedictionem illi, suppliciter, etiam genu posito, petenti, obstinatum denegasse. Ex institutis

d Ceremoniar. lib. 1. cap. 8.

siquidem Papalibus, *Cum* d *Papa per scalam ascendit equum, Imperator stapiam equi Papalis tenebit, & deinde deducet equum per frenum aliquantulum. Si verò Pontifex non equo sed sella veheretur, Imperator ipse, cum tribus alijs maioribus Principibus sellam ipsam cum Pontifice humeris suis portare aliquantulum debet.* Hinc Petrus Ferrariensis, antiquitate venerandus, in illum cum lamentis clamorem erupit. *O miseros Impera-*

ratores & sæculares Principes, qui hæc & alia sustinetis, & vos seruos Ecclesiæ facitis, & mundum per eos infinitis modis vsurpari videtis, nec de remedio cogitatis, quia Prudentia & Sapientia non inteditis. Persuadēt (inquam) Iesuitæ subditis, Regum suorum bruto-Papali-fulmine ictorum, legibus obtemperare; imbecillis esse animi, & a fide Catholica deuij: iugum vero Regum excutere, Regijs rescriptis illudere, Regesque ipsos suos, cum vires suppetant, debellare & deponere, atque adeo eorum Regna aliarum nationum imperio & libidini prodere, glorioſum: Principibus externis in tanti facinoris societatem sollicitatis, vtpote, vel nuptiali fœdere iunctis, vel alijs mille fallendi concinnatis Iesuitarum artibus, scienter & callidè circumuentis. Adeò vt vix vllam inuenire sit regionem, licet antea pacatissimam, in quam furores isti Iesuitici immanitatis suæ impetum pertulerint, non turbulenta breui seditione conuulsam. In id iam vnicè incumbunt Patres Iesuitæ (V. G. Papæ Athletæ in eam rem, vel iam soli, vel saltem strenuissimi) id obnixè moliuntur, vt Papa sit, & agnoscatur, *Totius mundi Dominus in temporalibus.* Reges verò omnes, non fundi

fundi Domini, sed Papæ vasalli, Regna sua in capite tenentes; aut potius coloni, tenentes ad voluntatem Domini, Regnis suis pro arbitratu Pontificis exuendi. Quod, quia, nisi toto Christiano orbe, vel seditionum procellis iactato, vel in combustione constituto, effici nequeat; Iesuiticæ istæ furiæ, eas discordiarum faces, in vniuersam rempublicam Christianã immisêre, vt nisi pacis Princeps Christus, tantum incendium restinxerit, omnia conflagrabunt. Periculum certè maximum est, quod Regibus Christianis intenditur, quod eorum ceruicibus imminet. αἴτιον δὲ κύριον huius impendentis mali non nisi ad illum ambitionis Papalis, & Iesuiticæ malignitatis fontem referendum est. Vtinam verò Principes Christiani tandem aliquando intelligerent, se suo interitui viam præmunire, cum illam amaritudinis radicem pullulare, crescere, & augeri permittunt, quæ tandem adulta, eos de omni statu Maiestatis deijciat. Serò persentiscant se illa ἐχιδνῶν γεννήματα aluisse, quæ cum voluerint, exsecare non poterint.

Heb. 12. 15.

Confido tamen fore, vt fortissimi Principes Christiani, exsuscitati, partim egregio laudatissimorum Venetorum ex-

exemplo, qui accessione noui nuperique edicti, & spem omnem Iesuitis redeundi præciderunt, & Parentum omnium omnes omnino liberos, qui ea ditione tenentur; è scholis & amplexibus Iesuiticis, ne diutius inficiantur, auulsos; domum perprudenter reuocarunt: partim libro illo Sereniſſimi Iacobi, diuinitus scripto, & illis ipsis dicato; imprimis verò Christi auxilio confirmati: non solum hæc tanta mala, inuisæ illius sectæ, vel tacitis consilijs designata, vel aperto furore excitata, propulsaturi; Iesuitis, pestilentissimis eorum aduersarijs, è regnorum suorum finibus perpetuò exterminatis vniuersis (si modo coronas suas sartas tectas, si subditos suos fideles & pacatos esse velint) verũ etiam iuxta illud Apocalypseos, Romanam illam bestiam, Regum diademata cornibus suis petentem, pedibusque calcantem; odio summo habituri, persecuturi, solam & nudã reddituri, Carnes eius comesturi, & ipsam igne exusturi sint. Farinæ illius Iesuiticæ vnus existit *Becanus*, qui quidem etsi in Primatu Regio in temporalibus varius sit, nam in hoc libello *Paulum* P. P. 5. & *Bellarminum* commendat, qui scriptis suis Romæ huc transmissis, eundem oppug-

Apoc. 17. v. 16.

Pag.17 oppugnârint; in illo autem contra Reg: Præfat: Monitor: & Apol: eidem his verbis suis fuit propitius, *Primatum in Temporalibus quisque Rex in suo Regno legitimè habeat*: tamen Primatui Regio in spiritalibus & Ecclesiasticis, pertinaciter infestus aduersarius est, illi ἐκ τοῦ διαμέτρου ἀντικείμενος. Quem cum scriptiunculis suis in eum finem pluribus editis, quasi eneruata impulsione, concutere non potuerit, (neque enim ipsæ inferorum portæ eundem possunt euertere) *Dissidij eum Anglicani* labe aspergere, & tenebris offusis, quo minus appareat, obscurare conatus est. Sed quàm id miserè, falsè, friuolè, pueriliter, scurriliterquè quasi fecit, re enim vera, nihil minùs facere potuit, Tractatus iste *De Concordia in Primatu Ecclesiæ Regio Anglicana*, faciet manifestum. Primatum Regium, in Temporalibus, *Bellarminus*; in Spiritalibus, *Becanus* ad conuellendum: Primarij à Papa designati & constituti sunt Emissarij. Ast *Becanus* certè quidem, leuis armaturæ vix miles gregarius, hæret in ipso limine. Τὸ κρινόμενον eum latet. Primatum siquidem Ecclesiæ Regium ponit in potestate, 1 *Excommunicandi*, quæ singulis etiam infimis Episcopis, Archidiaconis

nis, Presbyteris officialibus, vt nos: vt illi, *Abbatissis & Priorissis, Competat.* 2. *Beneficia Ecclesiastica Conferendi*, quæ ad singulos Patronos, etiam laicos pertinet. 3. Controuersiarum omnium, etiam fidei *Supremum Iudicem agendi*, quæ Mortaliũ nulli, nulli Angelorũ congruat. Rectius multò Augustinus, & ad constituendum totius huius controuersiæ statum, perappositè sic scripsit. *Quomodo Reges Domino seruiunt in timore? In hoc seruiunt Domino Reges in quantum sunt Reges, cum ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges. Sicut seruiuit Ezechias, templa idolorum & illa excelsa quæ contra præcepta Dei fuerant constructa destruendo. Sicut Iosias talia & ipse faciendo. Sicut Rex Niniuitarum vniuersam ciuitatem ad placandum dominum compellendo. Sicut* Darius *Idolum frangendum* Danieli' *tradendo. Sicut Nabuchadonozor subditos omnes à blasphemando Deo lege terribili prohibendo. Scilicet ea, quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo & plectendo. Atque leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conueniente rigore sanciendo.* Sic Augustinus: nos autem sic:

Augustinus Bonifacio vicemilitari de Cæsaris Comitatu Epistola lib. Tom. 2.

fic: Ea omnia, & ea sola, faciendo, quæ religiosi Principes Israelitici & Christiani in historijs sacris & Ecclesiasticis; vtpote in supremo Ecclesiæ Regimine constituti, cum laude fecisse leguntur.

Iam verò Tractatus hic meus, licèt minutus, vtpote nouem dierum labore confectus (Talem enim, *Almanakus*, vt ita dicam, *Becani* libellulus flagitabat) sub ala Maiestatis vestræ, Regio nomine, velut numine tectus, gestit prodire: suppliciter ac demissè rogans Maiestatem vestram, vt *Primatum Ecclesiæ Regium*, quem nos arctè accurateque defendimus *calamo*, vos dignemini *Sceptro* propugnare, V. G. Aduersarios illi omnes perditè rebelles, virgâ ferrea comminuere: Imprimis vero Iesuitas, qui huc haud pauci, è transmarinis Regionibus clanculum repentes, subditos vestros (chêu) quàm plurimos, venenato illius exotici ac hæretici dogmatis poculo, de Primatu Papali, vel (vt totum Concilium Africanum) *fumoso sæculi typho*, infecerunt; Ca. 105. vtque latiùs serpant, & per omnes venas, neruos, arterias Regnorum vestrorum, sensim, sine sensu disseminentur, nouam hanc, callidissimam, periculosissimam, & maximè compendiariam rationem, antiquus,

quus ille ſerpens, eorum mentibus iniecit, vt *Nouum* erigerẽt *Sodalitium*, quod *Diuæ Mariæ* vocant, conſtans ex viris & mulierculis laicis; non tantum plebeis, ſed etiam primarijs nonnullis viris, etiam in Magiſtratu conſtitutis; quibus imponitur frequens confeſſio, qua ſecreta Rerump: & Regnorum expiſcantur, locorum ſacrorum viſitatio, & nouarum quarundam precularum latinarum recitatio. Quod quidem nouum ac nuperum inſtitutum, in Sectæ Ieſuiticæ propagationem, in temporale totius mundi & abſolutum Papæ dominium, in Regum denique ruinam verè Chriſtianorũ, affabrè concinnatũ; Pontifex confirmauit, & *Plenaria Indulgentia* adornauit.

Deus Opt: Max: *Maieſtatem veſtram* ab aculeatis horum Scorpionum caudis, à peſtilentiſſimis locuſtarum, videlicet Ieſuitarum Machinationibus ſartam tectam, cum ſumma ſplendoris amplificatione, diutiſſimè ſeruet incolumem. Apoca. c. 9. v. 10. vſq. &c.

Sereniſſimæ Maieſtati Veſtræ

Subditus deuotiſſimus.

RICHARDVS HARRIS.



PRÆFATIO AD Catholicos in Anglia, qui *ſulphureæ proditionis diſ-*ciplinæ non adhæreſcunt,

Becanicæ Præfat. è regione poſita.

Affari vos iam, poſtquàm Becanus *de Diſſidio Anglicano perorauerit, vellẽ ſi placet, ſed paucis; mihi enim ipſi diſpliceret longiore vobis oratione moleſtũ eſſe. Ante biennium ſcripſit* Becanus *duos libellos de primatu Regio: alterum contra Apologiam et monitoriam Præfationem Sereniſſimi & Potentiſſimi* Iacobi, *magnæ Britanniæ Regis: alterum contra* Tortu-

ram Torti, *seu contra Reuerendissimũ Episcopum Elyensem. Quorum fumos (nihil enim sani, nihil solidi continebant)* G. Tookerus, Ric. Thomsonius, Ro. Burhillus, *et* Hainricus Salobrigiensis, *dispulerunt. Neque tamen* Martinus *defugit; quùm multa sunt quæ eius contentionis æstum restinguant, multa quæ rixandi libidinem tollant. Primùm, causæ iniquitas. Tum vestra æquitas. Deniq; pontificiorũ inter se dissidia, & intestinæ dissensiones de Primatu Papali, nostra verò de Primatu Regio concordia sũma. De causæ quã tueri conatur, iniquitate, quid attinet dicere? Pugnat contra Ecclesiam Christi, pro honore & obedientia Antichristi, Iesuitarũ more & cõsuetudine. Et hic, horum quem, memoratorum, iure non extimesceret. Iam vestra Æquitas, qua ves, vt Veneti, & Sorboniſtæ Parisienses Catholici, Iesuitas cum detestatione respuitis; et quam Iesuitæ, per carceres, vincula, supplicia, mortes (nimirum Proditorum) contra natiuum suum Regem, obitas: toti orbi testatissimam fieri velint: Cui, nisi* Becano, Calamum

non

non excuteret? cuius ſpiritus, licet altos, non minueret, deprimeret, infringeret, diſſiparet? Impiè quidem Becanus, *ac impudenter de proàtoribus vſurpat illud ex Apoſtolo, quod Sanctis duntaxat tributum eſt, viz.* Spectaculum facti eſtis, Deo, Angelis, & Hominibus. *Sint verò, ſi Ieſuitæ placet, Spectaculum; Deo, qui clandeſtinas eorum aduerſus Vnctum ſuum, Regemque illorum (vti hic fatetur) Sereniſſimum, conſpirationes intuetur & ridet, qui vires debilitat ad noſtram victoriam, & Gehennam præparat ad ſupplicium eorum ſempiternum.* Angelis, *qui miratur aliquos vel nomine Chriſtianos in rerum natura exiſtere, qui Primatus Eccleſiæ Regios, ab ipſo Deo conſtitutos, in ſacris literis fundatos, ab optimis denique Iſraeliticis & Chriſtianis Principibus, cum laude vſurpatos:* Potentiſſimos Inferorum Principatus (*ô blaſphemiam*) *vocare non reformidant: Et ſimul gaudent, tam infames, tam execrandos Proditores, ſpiritualium nequitiarum cuſtodiæ ac vindictæ commiſſos eſſe.*

Hominibus, *qui toto orbe diffusi, & auditione accipiẽtes de immanissimis istis conspiratoribus Iesuiticis, omni diritate tetrioribus; ad perpetua certamina, pro vnctis Domini contra pestilentes istos Antichristi Emissarios subeunda, vehementer accenduntur. Porro, de Primatu Papæ, si vos latet, in quanta opinionum inconstantia & inanitate versantur Pontificij. Primatus verò Regius, quàm consentiente omnium Scriptorum nostrorum voce celebratur, si me audieritis, legendo percurretis hunc libellum quem vobis offero, in quo, quibus in capitibus de Primatu ipsi dissentiunt papali, nos de Regio consentimus, sigillatim vobis ante oculos positum est. Plurimum siquidem interest ad pacis & tranquillitatis vestra studia videre, quàm pulchrè fictis suis ludicrisque insidiis instructus accedit* Becanus *ad tendendas vobis fallacias, quas tam astutè ac scienter ad circumuenicndos vos adhibet, vt laudem haud paruam eo artificio se consecuturum esse speret. Sed quia is ad pugnam se parat, nullo modo cõmittam, vt me im-*

paratum

paratũ ad ictus suos non tantũ excipiẽdos verumetiam repellendos, & in sua ipsius viscera retorquendos, inueniat. Cuius quidem conflictus, vel eminus hasta, vel cominus gladio, spectatores vos esse discupio. Interim verò Clementissimum patrem cœlestem precor, vt Σῆλον θεοῦ καὶ ἐπίγνωσιν *vobis largiatur.*

Londini mense Maij 1612.

Vestræ salutis studiosissimus

Richardus Harris.

DISSIDIVM ANGLICANVM.

De PRIMATV REGIO.

PRimatus Regius in Ecclesia Anglicana res noua est. Ortum habuit sub Henrico Octauo: floruit sub Edouardo Sexto, & Elisabetha: nunc sub Iacobo, tot dissidijs domesticis laceratur & discerpitur, vt diu stare non possit. Rectè Christus in Euangelio: *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Porrò, quæ & quanta sint illa dissidia, in his paucis Quæstionibus demonstrandum est.

I. An Rex Angliæ habeat aliquem Primatum in Ecclesia?

II. An primatus ille sit Ecclesiasticus & spiritualis?

III. *An Rex ab eo Primatu possit vocari Primas Ecclesiæ?*
IV. *An ab eodem vocari possit supremum caput Ecclesiæ?*
V. *An Primatus ille consistat in aliqua potestate vel iurisdictione Ecclesiastica?*
VI. *An Rex, ratione sui Primatus possit indicere Concilia, & in ijs præsidere?*
VII. *An possit leges ecclesiasticas condere?*
VIII. *An beneficia ecclesiastica conferre?*
IX. *An Episcopos creare & deponere?*
X. *An contumaces excommunicare?*
XI. *An iudicem controuersiarum agere?*
XII. *Vnde Rex habeat suum Primatum?*
XIII. *An subditos possit cogere ad iuramentum Primatus?*

In his Quæstionibus extremè dissentiũt Aduersarij. Sũt autẽ hi fere, Sacellanus; in *Tortura Torti*, Guilielmus Tooker Decanus Lichefeldensis *in Duello, seu singulari certamine cum Martino Becano.* Richardus Thomsonius in *Elencho Refutationis Turturæ Torti.* Robertus Burhillus in *Responsione pro Tortura Torti.* Henricus Salcolbrigiensis in *Refutatione Examinis*

Examinis Becanici. Præter hos citabo etiam Nicolaum Sanderum de *Schiſmate Anglicano*, Genebrardum in *Chronologia*: Polydorum Virgilium in *Hiſtoria Anglicana*, Iacobum Auguſtum Thuanum in *Libris Hiſtoriarum ſui temporis*: Caluinum in *Commentario ſupra Prophetam Amos*. Et ſi qui alij ſint.

RESPONSIO.

PRimatus Regius in Eccleſia Anglicana, Primatu Papiſtico in Eccleſia Romana, res eſt multo antiquior. Primatus Regius ortũ habuit ab Antiquo dierũ, ſub antiquiſſimis Patriarchis: magnifice floruit ſub Orthodoxis Regibus Iſraeliticis et Euãgelicis, & nunc in Anglia vel maximè floret ſub Iacobo ſolidè fundatus ἐπὶ τὴν πέτραν, & ſuperſtructus ſuper doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum, in omnem æui æternitatem permanſurus, adeò vt Ieſuitarum nec *pluuiarum deſcenſu*, nec *fluminum aduentu*, nec *ventorum flatu*, moueri, nedum

Mat. 7,25. Eph. 2,20

nedum dimoueri, minimè vero *lacerari*, aut *discerpi* possit. Ast de Primatu papistico recte Christus in Euangelio: *Omne regnum in se diuisum desolabitur*, Porro, quæ & quanta sint illa dissidia, in his paucis quæstionibus demonstrandum est.

Ad Quirinum 1, 2.

1 An Papa habeat aliquem Primatum in Ecclesia? Iuxta illud *Cypriani*; Petrus *se non vindicauit, seu aliquid insolenter assumpsit, vt diceret se Primatum tenere*, & iuxta illud *Chrysostomi*: *Quicunque desiderat Primatum in terra, inueniet in cælo cõfusionem.*

Hom. 35. in Mat.

Chrysost. 35 Hom in Math. Dist. 9. cap. Innocen.

2 An Primatus ille sit Secularis & Temporalis? iuxta illud *Chrysostomi*: *Qui non credunt iudicium Dei, nec timent, abutentes Primatu suo seculariter, conuertunt eum in secularem.* Sic vt Papa satis gnauiter asserat, *Sibi datam esse omnem potestatem tam in cælo quàm in terra. Cùm Christus sic de Petro: Tibi dabo claues regni cælorum* (non terræ) sic de seipso: *Regnum meum*, Scilicet Primatus meus (qui Papæ est instar regni sui) *non est ex*

ex hoc mundo, si ex hoc mundo esset, ministri mei certarent, ne traderer eis. Ioh. 18. 36.

At Papa Romanus *Bonifacius octauus, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Nationibus, populis terrorem potiùs quàm religionem injicere conabatur.* De Christo autem sic, sic de Papa Pasquillus eleganti hâc allusione cecinit verissimè. *Platin. Bonif.*

Christus regna fugit, sed vi Papa subiugat vrbes.
Spinosam Christus, triplicem gerit ille coronam.
Abluit ille pedes, Reges his oscula præbent.
Paupt oues Christus, petit hic Regna omnia mundi.
Pace venit Christus, venit hic radiantibus armis, &c.

3 An *Papa ab eo Primatu possit vocari Rex Regum, & Dominus Dominantium?* vtpote idem *Bonifacius Papa octauus*, qui *per supplicationum solennia Imperatorio habitu ornatus incessit. Corona aurea, Cæsaris in modum, redimitus, toga picta.* *Antonius de Rosellis.* *In vita Bonifacij octaui in sexto.*

picta fulgens, strictoque iussu ipsius, prælato gladio. Spectatum admissi risum teneatis (vos enim *Becanus* affatur) Academici.

Lib 4. Epi. 38. 4 An ab eodem vocari possit *supremum caput Ecclesiæ ?* iuxta illud *Gregorij magni : Quid tu Christo vniuersalis Ecclesiæ capiti in extremi iudicij responsurus es examine, qui cuncta eius membra tibi met conaris vniuersalis appellatione supponere.*

Lx. 22 ver. 25. Conf. ad Eug. lib. 2. 5 An Primatus ille consistat in aliqua potestate vel *iurisdictione temporali*, scilicet in *Dominio* temporali, & *coactiuo ?* Iuxta illud Christi : *Reges gentium dominantur eis, vos autem non sic.* Et iuxta illud *Bernardi : Planum est quod Apostolis interdicitur Dominatus. Ergo tu tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis. Si vtrumque similiter habere vis, perdes vtrumque. Alioqui ne te putes exceptum illorum numero, de quibus conqueritur Dominus discens : Ipsi regnarunt,* Mart. Polonus *& non ex me. Bonifacius octauus mandat*

dat Regi, se esse Dominũ in spiritualibus & temporalibus in vniuerso mundo: vtque Rex recognoscat regnũ Franciæ a se; Contrarium enim sentire & tenere hæreticum esse. Sic *Adrianus Papa: Imperator per nos imperat, vnde habet imperium nisi a nobis? Ecce in potestate nostra est, vt demus illud cui volumus.* In Extrauag. pag. 22. Reges & *Imperatores, de iussu & voluntate Christi, à Papa accipere potestatem.* *Auentin. l.b.6.* *Cap. Cum inter nonnullos.*

6 An Papa ratione sui Primatus possit *indicere Consilia*, & in ijs præsidere? nempe Oecumenicum *Constantiense* in quo tres Papæ, Dominus *Balthasar*, Constantin. nuper *Ioannes* 24. Angelus de Corario, *Gregorius duodecimus*: & Petrus de Luna *Benedictus* 13. de statione Papali, dejecti sunt. Et Oecumenicum Basilienſe: in quo Papa *Eugenius* quartus depositus est, electo Amadeo duce Sabaudiæ, &c. *Sess. 12.* *Sess. 26. 27. &c.*

7 An possit *leges Ecclesiasticas condere*, & *ciuiles rescindere?* vtpote has Ecclesiasticas: In Concilio Carthaginensi: *Primæ sedis Episcopus* *Dist. 99. cap. Primæ.*

non appelletur Princeps Sacerdotum, vel summus sacerdos, vel aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus: vniuersalis autem, nec etiam Romanus
Cap.92 *Pontifex appelletur*. Et in Concilio *Aphricano: Ad transmarina iudicia qui putauerit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur.*
Cap.36 In Concilio *Constantinop.* 2. vbi *Cyprianus* sic: *Nemo nostrum Episcopum se esse Episcoporum Constituit*. Denique ne hic infinitus sim, vt esse possim; In
Cap.36 Concil. *Constantinopol.* 2. in quo constitutum est: Episcopum *Constantinopolitanum* τῶν ἴσων ἀπολαβεῖν πρεσβειῶν τοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης θρόνου, *Æqualem* cum Romano Episcopo auctoritatem habere. Iam quoad leges alias: *Plenitudo Potestatis Papæ, superat omnē legem positiuam: & sufficit quòd in Papa sit pro ratione voluntas. Lex Principis præiudicialis Ecclesijs non extenditur ad Ecclesias, nisi expressè improbetur*. Rationes hæ sunt (a Iuel. pro Ap. p. 372 collectæ) [a] *Et si totus mundus sentētiaret in aliquo negotio contra Papam, standum esset sententiæ*

Extra de Constitut. Ecclesi. Sanct Mariæ numero 9

4, 21, 7.

[a] 9. Quæst. 3. Neque ab Augusto.

tentiæ Papæ. Iura enim omnia in scrinio pectoris sui habere videtur. [b] Quod ergo Papa approbat vel reprobat, & nos approbare vel reprobare debemus. Quisquis ergo nō obedit statutis Romanæ Ecclesiæ, hæreticus est censendus. Et [c] sacrilegii instar esset disputare de facto Papæ. Papa [d] habet Cæleste arbitrium, vnde in his quæ vult, est ei pro ratione voluntas: nec est qui dicat illi, Domine cur ita facis? Quia [e] sicut ex sola voluntate potest per Papam lex creari: ita per solam voluntatem potest cum ea dispensari.

(b) Dist. 19. Si Romanorum in glossa.

[c] Dist. 40 Si Papa in glossa.

[d] Extra de transl. Epis. Quamo in glossa.

[e] Felin de rescriptis ad Audientiam 2. ver.

8 An *Beneficia Ecclesiastica conferre?* Iuxta illud *Philippi pulchri. Philippus Dei gratia Francorum Rex Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice, &c. Sciat tua maxima fatuitas Ecclesiarum & Prebendarum collationem ad nos* iure Regio *pertinere, & fructus eorum durante vacatione nostros. Collationes à nobis hactenus factas, & in posterum faciendas fore validas: secus autem credentes, fatuos & dementes reputamus.*

Epist. ad Bonif. 8.

9 An *Episcopus creare & deponere?*

Lib. 2. de ministriu & ordin. c. 11.

re? Creare? quid ni? iuxta illud *Durandi. Omnes Episcopi descendunt a Papa, quasi membra a capite, & de eius plenitudine omnes accipiunt.* Et iuxta illud *Petri de palude: Ecclesia non habet potestatem aliquam iurisdictionis, nisi a Petro. A Petro post Christum, spiritualis gratia & potestas derivatur.* Hinc teste *Belto Solus Papa iure diuino, Episcopi autem iure Papali.* Iam cuius est creari, eius est destruere. Ergo, &c.

Extr. de Tran. Epi. Quanto ii Gloss.

10 An *Contumaces Imperatores, qui Papali voluntati quasi dicas rationi,* (quum stat pro ratione voluntas) *excõmunicando dethronizare?* Iuxta tractatum *Bellarm. De potestate summi Pontificis in rebus temporalibus* (aduersus *Gulielmum Barclaium* Ann. Dom. 1611.) publico in Francia edicto, primo comburendum, iam vero eodem Edicto interdictum, veluti ἀπόῤῥητον seditiosum, pestilentem.

Contra Praxeã Contra hæres. lib. 1. cap. 4.

11 An *Iudicem controuersiarum agere?* Puta Romanum Episcopum de *Montanismo*: iuxta illud Beati *Rhenani* ex *Tertulliano*: *Episcopus Romanus*

manus montanizat. De Arianiſmo *Liberium* de quo ſic *Alphonſus* de Caſtr. De *Liberio Papa conſtat fuiſſe Arianum* vel ſi mauis, *Leonem* Papam, quem *Arianum* fuiſſe, in Legenda *Hillarij* proditum eſt. De Neſtorianis Anaſtatium, de quo ſic idem ibidem *Alphonſus*: *Anaſtaſium Papam fauiſſe Neſtorianis, qui hiſtorias legerit non dubitat.* Denique de *Sergij* dogmatis *Honorium*, de quo ſic Concil. Conſtant. *Anathematizari curauimus Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, quia in omnibus mentem Sergii ſecutus eſt, & impia dogmata confirmauit.* Act. 6. 13.

12 Vnde Papa habeat ſuum Primatum quem vſurpat? An a Chriſto qui dixit: *Regnum meum non eſt ex hoc mundo?* An a *Petro* qui *Compresbyteris ſuis* interdixit *dominari cleris*, proin Regibus? An potius a diabolo, cuius hæc ſunt: *Omnia regna mundi & gloriam eorum tibi dabo, nam mihi tradita eſt, & cuicunque voluero, do eam.* Sic diabolus: & ſic eius hæres Papa *Adrianus*: *Vnde habet Imperator imperi-* Ioh. 18. 36. 1. Pet. 5. 3. Mat. 4. 9. Luk. 4. 6.

um niſi a nobis? Ecce in poteſtate noſtrâ eſt, vt demus illud cui volumus.

13 An ſubditos, ſcilicet omnes vbique Chriſtianos, poſſit *cogere ad Iuramentum Primatus?* Iuxta illud iuris Canonici: *Qui præcepto noſtro obedire noluerit* (ſcilicet ad necandum Dominũ ſuum Regemque natiuum) *Idololatriæ peccatum, & Paganitatis incurrit.* Inprimis vero Epiſcopos, qui *ſi Papæ contradicant, etiam vera loquendo, nihilominus peccant contra iuramentum Papæ præſtitum.* Denique iuxta illud *Bellarmini: Si Papa præciperet vitium, aut prohiberet virtutem? Eccleſia* (inquit ibid. *Bellarminus*) *teneretur credere virtutem eſſe malam, & vitium eſſe bonum.*

D.81.C. Siquis

Æneas Syluius ad Cap Mogunt.

De Ro. Pont. lib.4 cap.5. S vltimo.

In his quæſtionibus extremè diſſentiunt Aduerſarij: Auguſtinus Triumphus, Aluarus Pelagius, Hoſtienſis, Panormitanus, Sylueſter, Henricus Gandauenſis, Rodericus Sancius, Alexander Alenſis, Celſus Mancinus, Thomas, & Franciſc. Bozij, Iſidorus Moſcouius, Lælius Zecchus, Cardinalis

Cardinalis Baronius, denique Alexander Carerius, qui Bellarminū, eosque, qui illum contra prædictos sequuntur, *impios politicos, & nostri temporis hæreticos, scriptis suis* publicis vocare non dubitauit. In his (inquam) quæstionibus præsenti hac tempestate Iesuitæ à *Sorbonistis: Veneti* & *Franci* catholo-papistici a Romanis extremè dissentiunt.

Contra Angli Scriptores omnes Protestantes in Primatu Regio, quoad rem ipsam vnanimiter consentiunt; vtpote qui iuramentum Primatus, omnes in se lubenter susceperunt. Exemplum (inquit Sereniss. Rex) iuramenti Primatus (Anglicè of the oath of Supremacy (hoc est. "*Ego A. B. palam testor & ex*
"*conscientia mea declaro, quòd Maiestas* Apol. pa. 54.
"*Regia vnicus est supremus gubernator*
"*huius regni, omniumque aliorum suæ*
"*Maiestatis dominiorū ac territoriorū,*
"*tam in omnibus spiritualibus, siue Ec-*
"*clesiasticis rebus aut causis, quàm in*
"*temporalibus: & quod nullus extra-*

"neus Princeps, Persona, Prælatus,
"Status aut Potentatus, habet, aut ha-
"bere debet vllam Iurisdictionem, po-
"testatem, superioritatem, præeminen-
"tiam, vel auctoritatem Ecclesiasticam,
"siue spiritualem infra hoc regnum; &
"proinde renuncio penitus, et reijcio om-
"nes extraneas Iurisdictiones, potesta-
"tes, superioritates, & authoritates: Et
"promitto me deinceps fidem & veram
"obedientiam Regiæ Maiestati, eiusque
"hæredibus ac legitimis successoribus
"præstiturum: & pro virilimea adiu-
"turum ac propugnaturum omnes iuris-
"dictiones, priuilegia, præeminentias &
"auctoritates, Regiæ Maiestati, hæredi-
"bus suis, & successoribus concessas, vel
"debitas, siue Imperiali huius regni coro-
"næ vnitas & annexas. Ita me Deus
"adiuuet, &c. At verò per leges
Angliæ, hisce verbis & Syllabis ex-
Stat. 1. Eliz. pressissimis, Suprema Iurisdictio Ec-
clesiastica, vel potestas spiritualis (ve-
luti illius, qui vt habet etiam diser-
tis in verbis prædictum iuramentum
primatus, *vnicus est supremus Guberna-*

tor

tor huius regni, in omnibus rebus aut cauſis ſpiritualibus ſiue Eccleſiaſticis) Imperiali huius regni, Coronæ in perpetuũ vnita & annexa eſt. His ita poſitis, & in clariſſima luce conſtitutis, *Becanus* iã ipſe iudicet, ſed candide & ingenue. An non, iuxta hoc Iuramentũ Primatus. 1. *Rex Angliæ habeat Primatum in Eccleſia?* 2. *An non Primatus* ille ſit *Eccleſiaſticus & ſpiritualis?* ſcilicet, qui verſatur in omnibus rebus aut cauſis ſpiritualibus ſiue Eccleſiaſticis. 3. An non *Rex ab eo primatu poſſit vocari Primas Eccleſiæ*, vt Rex a Regno: Epiſcopus ab Epiſcopatu; villicus a villicatu? 4. An non ab *eodẽ vocari poſſit ſupremũ caput Eccleſiæ?* ſcilicet vnicus ſupremus Gubernator in omnibus rebus cauſiſque ſpiritualibus vel Eccleſiaſticis, & ſupra omnes perſonas Eccleſiaſticas. 5. An non *Primatus ille cõſiſtat in aliqua poteſtate, vel Iuriſdictione Eccleſiaſtica?* ſcilicet qui cõſiſtit in rebus omnibus Eccleſiaſticis, & ſupra omnes perſonas Eccleſiaſticas, quique deſcribitur ipſiſſimis verbis *Eccle-*

ſiaſticæ Iuriſdictionis, vel poteſtatis ſpiritualis; cum iuramentum Primatus auctoritatẽ Regiã *Eccleſiaſticã* ſpectat, Iuramentum autem fidelitatis, tantum *Ciuilem* vt accuratiſſime Sereniſ. Rex ipſe diſtinguit. 6 An non Rex *ratione ſui Primatus poſſit indicere Concilia & in ijs præſidere?* Scilicet, vt vnicus ſupremus Gubernator huius regni in omnibus rebus, cauſiſque Eccleſiaſticis & ſpiritualibus, & ſupra omnes perſonas Eccleſiaſticas? Quid enim? an non Concilia conſiſtunt ex perſonis Eccleſiaſticis? An non res ſpirituales vel Eccleſiaſticas tractant Concilia? 7 An non poſſit *leges Eccleſiaſticas Condere?* ſcilicet vt vnicus ſupremus gubernator in omnibus rebus & ſupra omnes perſonas Eccleſiaſticas? iuxta illud *Auguſtini: In hoc Reges ſicut eis diuinitus præſcribitur Deo ſeruiunt in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo regno bona iubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanã ſocietatem, verumetiã quæ ad diuinam religionẽ.*

Apol. pag. 53

Contra Creſcon lib 3. cap. 51.

8 An

8 An non *possit Beneficia Ecclesiastica conferre?*
9 An non *possit Episcopos creare et deponere?*
10 An non *possit cogere subditos ad iuramentum Primatus?*
11 An non *Rex habet ex ipsa Corona regni suũ Primatum?*

vt vnicus supremus gubernator in omnibus causis super omnes personas Ecclesiastic?

Excommunicatio (scilicet peccatorum retentio) Iurisdictionem spectat interiorem, qua cum Regi nihil est negotij, vt omnes scriptores statuunt, tam orthodoxi, quã pontificij. Sin spectet exteriorem. Omnes Episcopi Anglicani possunt excommunicare, scilicet ab exteriore cætu fidelium arcere. An igitur tot Ecclesiæ Anglicanæ Primates, quot Episcopi? At quæstio instituitur de vnico supremo gubernatore. Hæc igitur quęstio nimis est friuola. Denique Iudicem controuersiarũ fidei,

ſcriptores omnes Angli Proteſtantes mortalium neminem eſſe ſtatuunt: Hainricus tamen, & multò ante eum, Epiſcopus Iuellus Defenſ. Apol. Eccl. Ang. Ex Scriptoribus Eccleſiaſticis inprimis verò ex Socrate & Cuſano Cardinale ſcripſerunt, Principes Chriſtianos Controuerſias fidei dijudicaſſe cum laude ac diremiſſe. Caroli Magni (inquit Reuerendiſſimus Epiſcopus Elienſis) illa verba ſunt: *Decernimus & Deo donante decreuimus, quid eſſet de hac inquiſitione firmiter tenendum. Erat autem cauſa fidei contra Eliphandum Toletanum, qui Chriſtum filium Dei adoptiuum aſſeruerat*, ſic Epiſcopus poſtremo Nuda Sanderi, Genebrardi, Pol. Virgil. Thuani, nomina a Becano hic recitata, quis moretur? An hi etiam Becano aduerſarij? An hi in iſtis queſtionibus ſũt extremè inter ſe diſſentientes aduerſarij?

Part. 6 c. 13. D. 2. pag. 524.

Tort. Tor. p. 165

Caluinum quod attinet: ſic perapposite Torto iam dudum reſponſum eſt: *Caluinus vt Papam Regem: ita Regẽ Papã non*

Tor. Tor. p. 379

non probauit; neq; nos quod in papa deteſtamur, in Rege approbamus. At & ille nobiſcum, & nos cum illo ſentimus, eaſdem eſſe in Eccleſia Chriſtiana Regis Iacobi *partes, quæ* Ioſiæ *fuerunt in Iudaica. Nec nos vltra quicquam fieri ambimus.* Scopulos hos præteruecto, reliquus mihi curſus facilis oſtenditur; & *Becanica*, quæ ſequuntur, vno quaſi verbo diſſipentur omnia.

Becanus.

1. Quæſt. *pag.* 12. *An Rex Angliæ habeat aliquem primatum in Eccleſia?*

PRimum diſſidium eſt de nomine Primatus. Plærique admittunt hoc nomen, at R. *Thomſonius* malit *Suprematum, quàm Primatum* appellare; quia Primatus poteſtatem eiuſdem ordinis videtur ſignificare, Suprematus non item. Hinc duo colliguntur. 1. Omnes qui vtuntur nomine Primatus vel errare, vel impropriè loqui. 2. Rem ipſam id eſt, ſupremam poteſtatem Regis in Eccleſia, eſſe nouam, quia vox Suprematus eſt noua. Sanè, ſi antiqui Patres agnouiſſent hanc poteſtatem, reperiſſent aliquod

aliquod saltem vocabulnm, quo eam proprie expressissent.

RESPONSIO.

AN auceps syllabarum (*Pri: & Supre*) Iesuita *Becanus?* Supremam potestatem Regis in Ecclesia, Anglice, Supremacie, S. Rex in Apol. latine vocat *Primatũ*, R. Thomsi *Suprematum*. De re ipsa Constat, de nomine litigabit Iesuita? Certé quidem Princeps Christianus, nec Presbyter Sacerdos est, nec ° *Presbyterorum primus, scilicet Episcopus.* Nec Episcoporum primus, scilicet Archiepiscopus. Nec Archiepiscoporum primus scilicet Patriarcha: nec Patriarcharum primus scilicet Papa. Sed omnium Presbyterorum, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Paparum intra dominia sua, est vnicus supremus gubernator, cuius supremam Gubernationem, Primatum, vocamus, & præstito iuramento agnoscimus. Sed audiamus bellissimas Iesuitæ conse-

Apol. Iur. Fid. p 54

° *Aug. Q. ex vtroque Testa. Mixt. Q. 101*

quen-

quentias haſce duas. R. *Thomſ*: nouam vocem *Suprematus* excogitauit, Ergo primo Res ipſa noua eſt. Patres Nicæni nouam vocem ὁμοούσιος excogitarunt: Ergo, quid ergo? Ergo res ipſa noua? caue ne dixeris Martine. Hoc fortaſſis rectius; vox (Ieſuita) nuper inuenta. Ergo Ieſuitæ, vt blaſphemi, ſic Nouitij merito dicantur, Sectarij. Sane ſi antiqui patres agnouiſſent poteſtatem vniuerſalis Epiſcopi, reperiſſent aliquod ſaltem vocabulum, quo eam proprie expreſſiſſent; prætertim quùm, ſi *Gregorio* magno velimus credere, nomen illud *vniuerſalis Epiſcopi arrogans, profanum, ſacrilegum, Antichriſtianum ſibi imponere*: idem ſit atque *Regem eſſe ſuperbiæ, eſſe Luciferum, qui ſe fratribus ſuis anteponit: abieciſſe fidem: eſſe præcurſorem Antichriſti*. In Iure Canonico ſic legitur. *Primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps ſacerdotum, vel ſummus ſacerdos, vel aliquid huiuſmodi: ſed tantum primæ ſedis Epiſcopus, vniuerſalis*

Gregor. lib. 4. Epiſt. 76, 78, 80. & lib. 7. Epiſt. 69

Diſt. 99: Primæ.

ſalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur. Dicat *Becanus* quis antiquorum patrum, vel ſupremam poteſtatem Papæ in vniuerſa Eccleſia agnouit, vel eandem propriè vocauit Primatum? In iure Canonico ex Chryſoſtomo ſic habemus: *Quicunque deſiderauerit primatum in terra, inueniet in Cælo confuſionem: Nec inter ſeruos Chriſti computabitur, qui de Primatu tractauerit.* Secundo ergo vel errant, vel improprie loquuntur, qui vocem illam Suprematus nuper inuentam non vſurpant. Vah quam iſta cohærent? nimirum vt ſcopæ, ſi Ieſuitis placet, diſſolutæ. Denique *Becanus* ipſe Q. 12. pag 43. ipſum *R. Thomſ.* hiſce verbis ſuis loquentem introducit: *Primatus eſt regium bonum quod cenſura tolli non poteſt. Nec eſt abſurdum, Regem velut Ethnicum eſſe Primatem Eccleſiæ.* Ergo *Becano* ſic diſputante, qui Primatum Regi aſcribunt, Regemque vocant Primatem Eccleſiæ, non errant, ſed proprie loquuntur.

Dist. 40. multi.

Beca-

Becanus.

2. Quæst. *pag.* 14. *An Primatus ille quem Rex habet in Ecclesia, sit Ecclesiasticus & Spiritualis?*

SVb *Henrico* & *Edouardo* semper appellatus est Primatus Ecclesiasticus & spiritualis. Sub *Maria* antiquatus est Primatus Ecclesiastici titulus. Sub *Elizabetha* restitutus. Sub *Iacobo*, aliqui nō audeant appellare Primatum Ecclesiasticum & spiritualem; sed Primatum quoad Ecclesiastica & spiritualia. Inter quos Sacellanus Regis sic: Neque vero quoad spiritualia, alium nos Regi Primatum tribuimus quā debemus. Sic defensores & interpretes Sacellani: Burhillus pag. 55. Non dicit (Sacellanus) Primatum spiritualem, sed Primatum quoad spiritualia, deberi Regibus omni iure: Et pag. 133. Et si Regi tribuimus Primatum in Ecclesiam, non tamen primatum spiritualem aut Ecclesiasticum tribuimus, sed potius primatum, quoad res & personas spirituales & Ecclesiasticas. *Thomſ:* pag. 31. Non dixit (Sacellanus) Primatum Ecclesiasticum aut spiritualem, quasi formaliter intelligat:

Tort. Tort. pag 90.

ligat: sed quoad spiritualia, id est obiectiuè & materialiter. Et pag. 95. Diximus Regem quidem gubernare Ecclesiastica, sed non Ecclesiasticè. Ergône *Iacobus* minus habet, quam eius prædecessores, *H. Ed. Eliz:* habuerunt? Sic apparet. Ergône tam breui interuallo accisus & imminutus est Primatus Regius in Anglia? Ita aiunt. Ergo ne prope interitum est? Non dubito. Quid Causæ? Audi ex Triuio: quod citò fit, Citò perit. Audi ex sacro Codice. Si est ex hominibus Consilium hoc aut opus, dissoluetur. Act. 5, 38.

RESPONSIO.

PRimatus Regis sub *Henrico*, *Eduardo*, *Elizabetha*, *Iacobo*, vnus & idē extitit, est, futurus est. Scilicet suprema potestas Regis in Ecclesia, qua Rex possit, *nō thymiamata adolere*, quod ab Ozia factum est, *nec in Episcoporum ministeria irruere*, nec Euangelium *populo prædicare*, nec *sacramenta administrare*, *nec ligare*, *nec soluere*. (Quod quidem apud Scriptores à *Becano* hac in quæstione memoratos, est

Iuel. def. Apol. part. 6. c. 9. Di. 1. & 2. pag. 488

est *Ecclesiastica gubernare Ecclesiastice*): sed ea tantummodo exequi, quæ ipsorum sunt proprié, atque eo munere fungi; quo perfuncti sunt *Dauid, Salomon, Ezechias Iosias*, summaque nobilitate ac pietate Reges alij, & quo Principi fungi semper licuit. Vel sigillatim si mauis; Scilicet *Ius ac Potestas: leges authoritate Regia ferendi* (certe quidem Ecclesiasticas, ciusmodi sunt) [a] *ne blasphemetur Deus. Vt* [b] *ieiunio placetur Deus: Vt* [c] *festo honoretur. Denique iis omnibus de rebus, de quibus in Codice, in Authenticis, in Capitularibus, à Constantino, Theodosio, Iustiniano, Carolo Magno, leges latæ leguntur. Tum* [d] *delegandi, qui de lege sic lata iudicent. Tum* [e] *subditos ne sic latam violent, iuramento obstringendi. Quod si qui in leges ita latas committant, & si religionis* [f] *causa sit, in eos authoritate Regia animaduertendi.* [g] *Conuentus authoritate sua indicendi* [h] *de populo ad Dei cultum reuocando, de Templo polluto purificando. Quoad personas, omnibus* [i] *omnium ordinum*

Tort. Tort. pa 381.

(a) Dan. 3, 29
(b) Ion. 3, 7
c Ester 9, 26
d 2. Chr. 19, 8
(e) 2. Chr. 15 v. 14 & 34. vc. 32
f Deut. 13 10 Le. 24, 23 Mat. 15, 35
g 1. Chr. 13. 3
h 2. Chr. 19, 4
i 2. Chr. 29, 5, 4

dinum ius dicendi, quisit (dicam stile scripturæ) [k]Caput tribus Leui nõ minus quàm Cæterarũ; Nec minus clericorum, quàm laicorum Rex. Summum[l] Pontificem ipsum, si ita meritus, Pontificatu abdicandi. Quoad res: [m] excelsa diruendi, peregrinum cultum abolendi. [n] Serpentem æneum à Mose erectum, confringendi: de rebus quæ ad [o] decorem domus Dei spectant, statuendi. [p] Futiles & inutiles quæstiones authoritate sua compescendi. Hæc primatus apud nos iura sunt, ex iure diuino. Scilicet, quo Rex possit. 1. Vocari* κέφαλη, supremum caput Ecclesiæ. 2. Indicere Concilia, & in ijs præsidere. 3. Leges Ecclesiasticas condere. 4. Pontifices etiam summos constituere & deponere. 5. Subditos, ne leges illas a se latas violent, iuramento obstringere. Denique hic videant aduersarij, Primatum hunc regium iure diuino fundatum. A primis sub veteri testamento Regibus religiosis, ad primos sub nouo testamento religiosos Reges, adeoque ad Sereniſſimum

Iaco-

[k] 1. Sa. 15, 17

[l] 1. Reg. 2, 27

[m] Exo. 32, 10

[n] 2. Reg 18, 4

[o] 2. Chr. 24, 12

[p] Socrates lib. 1, 17

*Tort. Tort. pag. 339

Iacobum propagatum, nequaquam verò hoc tanto interuallo acciſum aut imminutum. Ergone nunquam interiturum? non dubito. Quid cauſæ? Audi ex ſacro Codice (nam tractent fabrilia fabri, Ieſuitæ autem, vt hic *Becanus*, triuialia:) Sin ex Deo eſt, nō poteſtis diſſoluere. Act. 5. v. 39. I nunc Ieſuita, & lude cum iudicris iſtis tuis, & planè puerilibus interrogatiunculis. Interim ſic placet verbis tuis interrogare ac reſpondere: Primatus Ieſuiticus minus ne habet in Francia, (nam *Venetijs* nihil habet) quam ibi, quam alibi habuit? Sic apparet. Ergone tam breui interuallo acciſus & imminutus eſt in Francia? Ita aiunt. Ergone prope interitum eſt? non dubito. Quid cauſæ? Audi ex Triuio Ieſuitico, Quod citò fit (neque enim ignota nobis ipſius Layolæ, Ieſuitarum Patris, incunabula) cito perit.

Becanus.

3. Qu. *pag.* 17. *An Rex ab hoc primatu possit vocari Primas Ecclesiæ?*

HEnricus Sal: pag. 140. Sic: Dico Regem Angliæ Ecclesiæ Anglicanæ Primatem esse: & pag. 177. Regem esse Primatem Ecclesiæ ponitur in publica professione veritatis in Anglia receptæ. At Tookerus pag. 3. Olere malitiam, ac clamitare audaciam tuam illud videtur, cum Regem Caput Ecclesiæ Primatemque confingas. Burhillus pag. 133. Nec Primatem quidem omnino Regem nostrum dicimus; multo vero minus Primatem Ecclesiasticum. Ergo *Henricus* ex *Tookero*, est audax & malitiosus. Ergo Tookerus ex Henrico peccat contra publicam professionẽ veritatis in Anglia receptæ, nimirum sic mulus mulum scabit; valet apud Henricum hoc argumentum à coniugatis: Rex habet primatum, Ergo Rex Primas est. Sicut & istud: Sacellanus habet Episcopatum: Ergo Episcopus est. At Tookerus pag. 6. Negat has duas consequentias à Coniugatis. 1. Rex habet Primatum, ergo primas est. 2. Archiepiscopus est Primas, Ergo primatum habet, fortè

fortè & has negaret. 1. Sacellanus habet Episcopatum, Ergo Episcopus est. 2. Tookerus Decanus est: Ergo Decanatum habet.

RESPONSIO.

QVid te (Asine) literas doceam? An recalcitrare, & sese mutuo confodere, est instar mulorum scabere? Quid tua in memoriã reuocẽ? Recognoscas mihi velim, tua hæc in Refut: Apol: & Præf: Monit: Regis: *Serenissimus ac potentissimus Rex Angliæ* Pag. 17. *Iacobus in sua Apologia, & Monitoria præfatione ad Imperatores &c. conatur ostendere se in Anglia, & vnumquemque regem in suo regno esse Caput seu Primatem Ecclesiæ.* Caput & Primatem illic confundis vt synonyma. Hic duplici quæstione disiungis. Sic Mulus se ipsum scabit. Rex huius vocis (*Primas*) nullam facit mentionem; veruntamen reuera (vti ais) conatur ostendere, & ostendit ἀποδεικτικῶς, se esse Primatem Ecclesiæ. Ergo sensu Regio & nostro ac etiam tuo, idem est

Primatum habere Ecclesiæ, & Primatem esse Ecclesiæ? De re igitur cum constat, quid pueriliter litigas de Nomine, hic, *Primatis*. Vt supra, *Primatus*? Dr. Tookerus & Mr. Burhillus palàm professi sunt, subscripserunt, iurârunt, Regem esse vnicum supremum Gubernatorem in rebus omnibus Ecclesiasticis, & supra omnes personas Ecclesiasticas in hoc regno: Id est, è sensu Hainrici, & Thomsonij, è sensu etiam tuo, vno verbo, *Primatem*. At Tookerus & Burhillus negant Regem esse Primatem Ecclesiæ; & rectè quidem sensu Papistico, quo somniatis Papam esse Primatem Ecclesiæ, scilicet Sacerdotalem: qua distinctione adhibita, dissidium hic inter aduersarios tuos, de Primatu, vel Primate, dissidium omnino nullum est; saltem quod rem ipsam spectat.

Beca-

Becanus.

4. Quæst. p. 19. *An Rex à suo Primatu possit vocari supremum Caput Ecclesiæ?*

HOc titulo vsus est Henricus Octavus : Edouardus Henrici filius : & Elizabetha. At hoc tempore sub Iacobo periclitatur hic titulus. Admittit quidem illum Sacellanus in Tortura Torti; sed Tookerus & Burhillus repudiant. Took. pag. 3. Olere malitiam, & clamitare audaciam tuam videtur illud, cum Regem Caput Ecclesiæ Confingas. Similiter Burhillus pag. 133. reprehendit quendam tanquàm petulcum & audaculum, quod dixisset Regem esse Caput, Pastorem & Primatem Episcoporum. In hoc dissidio quid agat Rex? Si admittit titulum *Supremi Capitis Ecclesiæ in Anglia*, murmurabunt Tookerus & Burhillus : si respuit, quid dicet Sacellanus? Si Rex duos Episcopatus Tookero & Burhillo largiatur, tunc facilè concedent Regi hunc titulum, & multo ampliorem.

RESPONSIO.

ECclesiæ Anglicanæ *Caput, Primas.* scilicet Regius, & *vnicus supremus Gubernator in omnibus rebus & supra omnes Personas Ecclesiast:* rem planè vnam, eandemque significant; Qua in re Scriptores omnino omnes nostri Anglicani vniformiter consentiunt, & sic palàm ac publicè profitentur *Titulum Supremi Capitis* sub Christo in Anglia Regium. Hic igitur de lana caprina pugna est Iesuitica.

Pag 338. & 339 Id quod *Becanus* à R. Episcopo Elienſi discere potuit; qui non solùm admittit illum Titulum in Tortura Torti, verumetiam è scripturis & patribus antiquis, solide cõfirmat hisce verbis: *Iam verò, vt nomẽ Capitis ad Regem reuocetur vel à Gregorio, vel alio quoquam, arte mirabili opus non est. Præiuit nobis voce Spiritus Sanctus. Sic* 1.Sam.15,17 *Regi suo propheta Samuel: Nonne cùm paruulus esses in oculis tuis, Caput in tribus*

bus Israel factus es? Inter tribus verò Israel tribus Leui. Caput ergo Rex vel tribus Leuiticæ: quâ in tributum pontifex Abimelech sub Rege Capite suo. Mirabilis inertiæ negare hoc, non artis hoc probare. Tum Ecclesiæ Catholicæ præsul (nec Gregorio minus vel Sanctus vel doctus) Chrysostomus, eandem hanc vocem Capitis reuocauit ad Theodosium, eumque κεφαλὴν καὶ κορυφὴν, dixit, non solùm Caput, sed quod in Capite ipso maximè sublime est, Capitis verticem, idque omnium in terris hominum. Puto autem tum fuisse in terris hominem, qui Romanus Episcopus diceretur.

In quam sententiam sic etiam scribit Dr. Tookerus pag. 4. *Regem verò Elienſis Episcopus ita nobiscum recognoscit cum Chrysostomo,* & κεφαλὴν & κορυφὴν, *Caput & verticem Capitis, quod maximè est sublime in ipso capite, vt Gubernatorem Ecclesiæ post illud Primarium Caput Christum intelligat.* Vide'n Iesuita, ore quàm duro mentitus es, cùm sic scripseris? *At hoc*

tempore sub Iacobo periclitatur hic titulus? Dr. Tookerus & Mr. Burhillus Regem dici nolunt Caput Ecclesiæ, scilicet cuiusmodi Papã esse somniant Papistæ, *cuius motioni* (inquit *Clemens* Papa) *omnes subiecti sunt. A quo,* [a] *in consortium individuæ vnitatis assumpto, quasi quodam capite, dona sua Deus, velut in cõrpus omne diffunderet.* [b] *A quo omnes Episcopi descendunt tanquam membra à Capite. Quod* [c] *potest omnia quæ Christus potest.*

Cuius [d] *Christique vnum est Tribunal, & vnum Consistorium.*

Sed an Iesuita inter Prophetas? falsos fortassis. An Scriptores nostros (qui vitam suam effundere, quam hunc titulũ Supremi Capitis, Regi suo, sensu Papistico, concedere mallent) suo & suorum Papæ Parasitorum metitur affectu?

In illo, de Papæ Primatu, Cardinalium dissidio, *videlicet*, vtrum dominium habeat in Temporalibus Regum, *directè an indirectè?*

Quid

a 6. De Elect. & Elect. Potest. ca. fundamenta.

b Durand. de minist. & ord. lib. 2.

c Hostiensis ca. Quanto.

d Abbas de Electione cap. Venerabili.

Quid agat Paulus quintus? Si admittit titulum directè in temporalibus, murmurabit *Bellarminus*: Si respuit, quid dicet Baronius? quid Canonistæ? quid Iesuitæ? Si Cardinales Bellarmino Papatum largiantur, concedet Papæ, hunc titulum directè & multò ampliorem. Verumenimuerò ecquemne Titulum Papalem hoc de Capite Ecclesiæ habent Papistæ ampliorem? Ita videtur; quia iuxta Parasitos.

Vt in Aenea Syluio vidimus

Primo, *Papa* [c] *potest supra ius dispensare, & de iniustitia, potest facere iustitiam, & sententiam, quæ nulla est, facere aliquam, & de nihilo facere aliquid.*

[c] *De transl. Epis. Quanto gloss.*

Secundo, *Solus* [f] *Papa est verus dominus temporalium: ita vt possit auferre ab alio quod suum est: Et tenet factum eius licèt peccet. Principes autem non sunt Domini, sed tutores, procuratores, & dispensatores.*

[f] *Ioh. de Paris. de Potest. Pa. & Reg.*

Tertio, *Credere autem Dominum Deum nostrum Papam conditorem dict. Decret. & istius, sic non potuisse statuere.*

[g] *Extra. Ioh. 22. Cum inter in glossa. § Declaramus in fine.*

ſtatuere, prout ſtatuit, hæreticum cenſeretur. Ecquid vltra ? ſcilicet ſupra Deum & numen ? *Perſuaſerunt* (inquit *Franciſcus Zabarella*) *Pontificibus, quod omnia poſſent, & ſic quod facerent quicquid liberet, etiam illicita, & ſint pluſquam Deus.* De quibus ſic olim ſigillatim [h] *Camotenſis: Angelis præcipiunt; poteſtatem habent in mortuos; vim faciunt ſcripturis, vt habeant plenitudinem poteſtatis. Ipſe Papa iam factus eſt intolerabilis. Eius Pompam & faſtum nullus Tyrannorum vnquam æquauit.* En caput Romanum quàm ſplendidum, ſcilicet quam pompaticum, aut, ſi malit, Tyrannicum?

[h] *Ioh Camotenſis in Policratico.*

Becanus.

5. Quæſt. pag. 23. *An Primatus Regis conſiſtat in aliqua poteſtate vel iuriſdictione eccleſiaſtica?*

CErtum eſt Regem ratione Primatus, non habere poteſtatem ordinis, vt Tookerus. pag. 14. Nec Iuriſdictionem fori conſcientiæ vt Tookerus pag. 63.

Tota

Tota controuerſia eſt, an habeat Rex Iuriſdictionem Eccleſiaſticam in foro exteriori? Tookerus pag.305. Rex habet pleniſſimam & ampliſſimam Iuriſdictionem in foro exteriore. Henric. Salc. pag.140. Ex legibus Anglicanis: Reges ſacro oleo vncti, capaces ſunt Iuriſdictionis ſpiritualis. Rex eſt perſona mixta, vtpote qui & Eccleſiaſticam & temporalem Iuriſdictionem habet, & quidem ſupremam, & pag. 144. Ex ijſdem legibus: Rex Eccleſiaſtica Iuriſdictione quam habet, poteſt diſpenſare contra leges Eccleſiaſticas, ſcilicet, vt ſacerdos duo beneficia habeat, & Baſtardus ſacris initietur. At Thomſonius pag. 80. Primatus Eccleſiæ non eſt definiendus per Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſed per Gubernationem ſupremam. Burhillus pag.234. Concedit hanc propoſitionem negatiuam: Rex nullam habet Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, nec in foro interiori, nec in exteriori: Diſtinguit Epiſcopus Elienſis apud Tookerum pag. 305. his verbis: *Habet Rex omnem Iuriſdictionem Spiritualem in foro exteriori, exceptis quibuſdam cenſuris.* Sic Rex cum Tookero & Salc. habet ampliſſimam, pleniſſimam, ſupremam,

mam, cum Episcopo Elienſi: Habet aliquam, non omnem. Cum Burh. & Thomſonio. Nullam, nullam penitus habet.

RESPONSIO.

Ipſiſſima & expreſſiſſima verba legis Anglicanæ, quæ iam obtinet, hæc ſunt: *Ea eccleſiaſtica Iuriſdictio quæ poteſtate aliqua ſpirituali, vel Eccleſiaſtica antea exercebatur, vel legitimè exerceri poterat, ad viſitandum ſtatum Eccleſiaſticum & ordinem, item ad reformandum, in ordinem redigendum, & corrigendum homines Eccleſiaſticos omnimodos errores, hæreſes, ſchiſmata, &c. imperiali huius regni coronæ in perpetuum vnita & annexa eſt: qua Rex Angliæ plena poteſtate ſua per literas ſuas patentes poſſit aſſignare, & authoritate munire. è natiuis ſubditis eos, quos idoneos exiſtimârit ad exequendum & exercendum ſub ſua Celſitudine, omnimodam Iuriſdictionẽ, priuilegia, præeminentias vllo modo ſpectantes ad Iuriſdictionem ſpiritualem, vel Eccleſiaſticam infra hoc regnum. Iam verò omnes* Stat. 1. Eliz.

Proteſtan-

Proteſtantes, Angli Scriptores in Iuramento Primatus, quod ſuſceperunt: Palam teſtantur, & ex conſcientia ſua declarant, ſe pro virili omnes Iuriſdictiones, priuilegia, præeminentias imperiali huius regni coronæ vnitas & annexas, adiuturos & propugnaturos. Quamobrem in re ipſa omnes planè conſpirant: Sed eam quam leges Angliæ vocant *Iuriſdictionem Eccleſiaſticam*, & definiunt eſſe *ſupremam Gubernationem in omnibus rebus Eccleſiaſticis, & ſupra omnes perſonas Eccleſiaſticas*: Mr. Thomſ. vocaret potius *Supremam Gubernationem*. R. Epiſc. de hac re ſic ſcribit: *Hoc contendo ordinariam eſſe, quam Abbatiſſæ apud vos habent ſpiritualem Iuriſdictionem. Abbas enim ordinariâ habet, & in adminiſtratione ſuâ Abbati æquiparatur Abbatiſſa. Quid vero obſtat? Quia ne cenſuras exercere, excommunicare nequeunt? At Excommunicatio directè ad clauem ordinis non pertinet. Aquinas*[a] *hoc aſſerit. Excommunicatio non eſt actus clauis directè, ſed magis exterioris fori.*

Iurament. Primatus in Apol. Reg. pag. 56.

Ter. Ter p. 151

[a] *In 4. ſent. diſt. 18. q. 2. art. 2.*

Et

Et communis hæc apud vos ſententia eſt: omnis habens Iuriſdictionem ſpiritualem, & ſi non habet clauem ordinis, poteſt excommunicare. Negantur fœminis, quæ ordinis ſunt, vel interioris fori: quæ vero ad forum exterius ſpectant, & laicis communicantur, eorum, quin & fœminæ capaces ſint, ratio nulla repugnat, vt pro Abbatiſsis ſuis acriter contendit, in eóque rem noſtram agit Stephanus D'Aluin, Sorbona ſententiam eius approbante. Quanquàm nos, Principi, Cenſuræ poteſtatem non facimus: in eoque plus multo Abbatiſſæ vos, quàm nos Principi tribuimus. Mr. Burhillus Regi omnem Eccleſiaſticam Iuriſdictionem in foro etiam exteriori detrahit, nimirum *Sacerdotalem.*

Tract. de Abbat poteſtate cap. 2, 3, 11

Sic Rex Angliæ habeat Iuriſdictionem *Eccleſiaſticam, omnem,* ſcilicet ſupremam & Regiam (de qua ſola hoc in libro controuertitur:) at Sacerdotalem *nullam, penitus nullam habet*; eamque, abſque omni omnino Diſſidio.

Sed

Sed heus *Becane*, An tu hic potes, si in te pudentiæ alicuius Christianæ particula supereſt, rubore non ſuffundi, qui ſupremam omnem Eccleſiaſticam Iuriſdictionem propriè Regiam; ipſis Regibus religioſiſsimis detrahendam eſſe pertinaciter contendis; cum fæminæ apud vos, Iuriſdictionis ſpiritualis Sacerdotalis vel Epiſcopalis V. G. *Poteſtatis etiam Clericos excõmunicandi, abſoluendi, viſitandi, inſtituendi, beneficia conferendi, præſentandi ad beneficia prælaturas, & Dignitates Eccleſiaſticas, adeoque adminiſtrationẽ omnẽ tam ſpirtualem quàm temporalem monaſteriorum monialium, niſi ad ea quorum eſt fæmina incapax, veluti ordinis) habendi*; capaces ſunt & compotes? Præſertim cum de fæminis ſic Paulus: Τυπτὴν δὲ ἐπιτρέπω διδάσκειν οὐδὲ Poſtremò, quæ Salo-brigienſis hîc commemorat (de Regibus, vtpote ſacro oleo vnctis &c. perſonis mixtis &c. qui diſpenſent contra leges Eccleſiaſticas) vniuerſa; ex verbis legis antiquæ com-

Fran. Stephan. D' Alain de Poteſtat Epſc. Abbatum, Abbatiſſ. cap. 2, 3. 4, 11. &c.

1. Tim. 3. v. 12.

communis Angliæ expreſſiſſimis, tranſcripta ſunt: Quæ tibi in eo argumenti genere abundè ſatisfeciſſent.

Becanus.

6. Quæſt. pag. 25. *An Rex propria auctoritate poſsit Synodos indicere?*

SEquitur diſſidium de officijs Primatus Regij. Sunt autem ſex officia, de quibus diſputari poteſt. 1. Indictio Synodorum. 2. Sanctio legum Eccleſiaſticarum. 3. Collatio beneficiorum. 4. Creatio & depoſitio Epiſcoporum. 5. Excommunicatio. 6. Controuerſiarum deciſio. Regem propria authoritate poſſe conuocare ſynodos, & in ijs præſidere, certo perſuaſum fuit tempore Henrici, Edouardi, & Elizabethæ nunc ſub Iacobo controuertitur. Affirmat Salobrigienſis pag. 121. his verbis: *Chriſtiani Principes in regnis ſuis cum laude propria authoritate Synodos Conuocarunt, Conſtitutiones condiderunt, cauſas audierunt & cognouerunt.* Et pag. 146. Rex Angliæ poteſt Synodos indicere omnium ordinum Oecumenicas, & in

ijs

ijs præsidere. Et pag. 155. Reges Angliæ suprema sua authoritate, de iure synodos conuocarunt. Tookerus in hoc puncto varius est pag. 37. *A quibus magis æquum est indici Concilia*, quam ab illis, penes quos semper fuit authoritas ea congregandi? Pag. 41. Abunde liquet ex Concilijs ipsis & historia Ecclesiastica, prouincialia Concilia & nationalia ab Imperatoribus & Regibus fuisse Congregata pag. 42. Erat Apostolorum omnium, non vnius tantummodo, indicere concilium, & statuere cum verborum solennitate; visum est Spiritui Sancto, & nobis. pag. 63 dicit, Indictionem Synodorum primariò pertinere ad Reges, & ab illis ad Episcopos deriuari.

RESPONSIO.

HActenùs de nominibus grammaticè litigatum est. 1. Vtrum suprema Regis gubernatio in Ecclesia Anglicana, (quam Scriptores omnes nostri profitentur) dicenda sit *Primatus*, an *Suprematus*? 2. An is, qui supremam illam habet gubernationem in Ecclesia, dicendus sit à Primatu suo, *Primas Ecclesiæ*, vel Ca-

put Eccleſiæ; an *vnicus ſupremus gubernator Eccleſiæ?* 3. Vtrum Suprema illa gubernatio vel Iuriſdictio, quæ eſt in rebusomnibus Eccleſiaſticis, & ſupra omnes perſonas Eccleſiaſticas, dicenda ſit, *Suprema Gubernatio Eccleſiæ*; an *Suprema Iuriſdictio Eccleſiaſtica*. Cohibet Sanctus Paulus verbales haſce μάχας λογομαχίας ζητήσεις, indignas certè Theologis, fortè tamen non Ieſuitis. Sed dicat *Becanus* ingenué, an hæc ſex tãtũ officia ad Primatum Papalem pertinentia, an potius ſexagies ſex ſunt, de quibus diſputari poteſt? Dicat an hæc officia proprie ſpectant Primatum Petri, & ea ratione Pontificis Romani. Oſtendat ſcriptum; vel Primatum Petri vllum; vel Primatum illũ hiſce officijs, quaſi terminis definitum: vel Petrum hæc aliquando officia præſtitiſſe, vt Eccleſiæ Primatem. Scilicet oſtendat ex ſcripturis, quã Synodũ Petrus, vt Eccleſiæ primas indixit: Quas leges Eccleſiaſticas condidit: Quæ beneficia contulit; Quos Epiſcopos creauit

1. Tim. 1, 23

creauit vel depoſuit: Quatũ controuerſiarũ ſupremũ iudicẽ egit? Hæc ſi non oſtendat, blaterat Ieſuita, non diſputat. Excommunicent omnes vel infimi in regno Epiſcopi. An omnes illi ſupremi Gubernatores vel Primates in totius regni Eccleſia vniuerſa? De vnico ſiquidem ſupremo totius in regno Eccleſiæ Gubernatore quæritur. Dempta excommunicatione, pluribus explicatis tabulis demonſtrauit, Hainricus Chriſtianos Principes cum laude, 1. Synodos indixiſſe. 2. Leges eccleſiaſticas condidiſſe. 3. Beneficia contuliſſe. (Quanquam hoc craſſum nimis & obæſum Primatus officium eſſe videatur) 4. Epiſcopos creaſſe & depoſuiſſe. 5. Controuerſias dijudicaſſe ac diremiſſe: ita tamen vt mortalium neminem, omnium controuerſiarum, præſertim fidei, ſtatuat eſſe iudicem. Chriſtianos Principes propriâ authoritate, & cum laude Synodos indixiſſe expreſſis his verbis, ſcribunt Hainricus &

Tookerus. Neque in hoc puncto, Dr. Took. ab Hainrico, vel à seipso varius est. Quũ Hierosolymitanum illud Primum Concilium congregatum est, vtrum regnarunt Principes Christiani, an Ethnici? At quæritur duntaxàt de Christianis. An igitur idem hic sonant Sophista & Iesuita? At si Petrus tunc vnicus ille Primas Ecclesiæ, cur solus concilium illud non indixerit? Cur Iacobus Præsidem in illo Concilio egerit? Si Papa-Petrus supra concilium; quid illa sibi verba volunt: visum est Nobis. Et non visum est Petro, vel soli, vel Primario. Aut sic: visum est Petro-papæ, & post eum, reliquis Apostolis atque presbyteris. Si Petrus, si Papa supremus sit Iudex omnium controuersiarum, quid illa verba? *visum est Spiritui Sancto*, & non potiùs, visum est Papæ-petro Iudici controuersiarum supremo. Magnum hoc mysterium, ac si Mortalium nullus, sed ipse Spiritus Sanctus, Iudex controuersiarum in Eccle-

Ecclesia esset supremus. Concilia Prouincialia à Metropolitano; Diæcesana ab Episcopo, quid ni conuocentur, vi legis Ecclesiasticæ Christianorum principum? præsertim cùm (vt rectè Dr. Tookerus) eorum indictio primariò ad Reges pertineat, & ab illis ad Episcopos deriuetur? Hęc vel maximè cohærent. *Nouel. constit. 123. Leg. 13. & 133. Franc.*

Becanus.

7. Quęst. *pag.* 29. *An Rex possit leges Ecclesiasticas condere?*

COnstat Henricum octauum id fecisse. Angli hoc tẽpore aliqui scribunt, sanctiones legum Ecclesiasticarum iure diuino pertinere ad Episcopos, vt Tookerus p. 49. vbi. ait Apostolos in Cõcilio Hierosolymitano, sanciuisse hanc legem Ecclesiasticã: vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorũ, & sanguine, & suffocato. Et hoc fecisse eos iure diuino. Alij ad Reges & Imperatores, vt Thomsonius pag. 80. sic. *Decreta Conciliorum & patrum Ecclesiasticis censuris*, & πράγμασιν tantum stetissent, nisi legum vim

Cæsærea aura illis afflasset. Hic iam patet dissidium. Nam illa lex Ecclesiastica habuit sine dubio vim legis, vt colligitur ex illis verbis: *visum est nihil vltra imponere vobis onera, nisi hæc necessaria.* Hanc autem vim non habuit ab afflatu auræ Cæsareæ vel Regiæ: sed habuit ab ipsis Apostolis. Ipsi enim authoritate & potestate Apostolica, quam à Christo acceperant, legem illam sanxerunt, & promulgârunt. Eandem potestatem nunc habent Episcopi.

RESPONSIO.

Distingue tempora Ecclesiæ pacis, in quibus Principes Christiani, & Persecutionis, in quibus Principes Ethinci regnarunt; *ac intelliges scripturas*, dicit tibi Augustinus. De Temporibus pacis, sic Dr. Tookerus pag. 42. *Erat Dauidis, Salomonis, Iehosophat, Ezechiæ, Iosiæ qui leges Leuitis, & vniuerso Cœtui dederunt.*

De temporibus persecutionis sic idem ibidem: *Erat Apostolorum omnium non vnus tantummodo, & indicere*

&

& ſtatuere cum pari verborum ſolennitate, viſum eſt Spiritui Sancto & nobis. Magiſter Thomſonius non negat legem illam apoſtolicam, abſque afflatu auræ Ceſareæ, vim legis Eccleſiaſticæ habuiſſe, quaſi nulla lex eſſet abſque prædicto afflatu, ſed vim non habuiſſe corporalibus cenſuris coactiuam, vt ipſa verba expreſſè ſonant. Nullum igitur hic patet inter Scriptores Anglos diſſidium, ſed Ieſuitæ cum Elencho ὑμνυμίας pueriliter ludentis delirium; in eo præſertim, quod Canones Epiſcoporum, ſtatutis adæquat authoritate & poteſtate Apoſtolica ſancitis ac promulgatis. *Solis Canonicis ſcripturis* (cuiuſmodi ſunt leges Apoſtolicæ) inquit [a] Auguſtinus, *ſine vlla recuſatione conſenſum debeo.* [b] *Alios ſcriptores ita lego, vt quantalibet ſanctitate & doctrina præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſẽſerint, ſed quia id mihi per alios auctores Canonicos, vel probabili ratione quod à vero nõ abhorret, perſuadere potuerint.*

[a] *De natura & grat. ca. 61*
[b] *Aug. Epiſt. 19 ad Hieron. Diſt. 9. Ego ſolis.*

Hoc [c] *genus literarum (scilicet sanctorum patrum & doctorum) non cum credendi necessitate, sed cum iudicandi libertate, legendum est.* Hinc idem alibi, repudiatis, tum Concilijs, tum patribus, sic: [d] *Nec ego Nicænam Synodum tibi, nec tu mihi Arimenensem debes obijcere: Scripturarum authoritatibus, res cum re, ratio cum ratione concertet.*

[c] *Aug. cont. Faust. l. 11 c. 5.*

[d] *Aug. cont. Max. l. 2. c. 14*

Leges Apostolicas Iesuita non negabit fuisse diuinitus inspiratas. An vero idem audet affirmare de Ecclesiasticis legibus Episcopalibus, aura etiam papali afflatis, etiam in Concilio Tridentino? De quo sic Galliæ Regis legatus, qui ibidem præsens aderat: [e] *Minus legitima, minusque libera dicũtur illa Cõcilia. Qui aderant (non Spiritu Dei afflati) sed ad voluntatẽ alterius (nempe Papæ) semper loquebantur.* [f] Academia Parisiensis in Leonẽ decimũ, & cõciliũ ipsius Romanũ sic: *Leo papa decimus in quodam cœtu in ciuitate Romana, nescimus qualiter, nõ tamẽ in spiritu Domini cõgregato.*

[e] *Oratio Synodica. Anno. 1562.*

[f] *Appellatio V. Paris. 1517.*

An

An ignorat Becanus quam lepidè, Nicholaus[g] Cusanus Cardinalis Eugenium Papam, hoc scommate incesserit? *Quomodo potest Papa Eugenius dicere hoc verum esse, si ipse velit, & non aliter? Acsi inspiratio ipsius Sancti Spiritus foret in potestate Romani Pontificis, vt tunc inspiret, quando ipse velit.* Denique Iesuita in gratiam M^r. Thomsonij, rationem reddat solidam, qua ducti Episcopi in Concilio Constantinopolitano 5. sic supplices ad Theodosium Imperatorem: *Rogamus Clementiam tuam, vt per literas tuæ pietatis ratum esse iubeas, confirmésque Concilij decretum.*

[g] *De Concord. lib. 2. cap. 20.*

Becanus.

Quæst. 8. pag. 32. *An Rex propria authoritate possit conferre beneficia Ecclesiastica?*

AFfirmat Henricus Salc. pag. 121. 150. 142. Christianos principes cum laude propria authoritate beneficia contulisse, & collationes quorundam Beneficiorum, atque præsentationes ad liberas Capel-

Capellas, ad Reges Angliæ ſpectare, vt ordinarios in Suprema Iuriſdictione Eccleſiaſtica conſtitutos. Tookerus autem pag. 36. ſic: nec Beneficia nec Epiſcopatus Reges Angliæ, conferunt omnino in quempiam. Eorum certè collatio vel Inſtitutio eſt Epiſcoporum, qui poteſtatem habent perſonas ipſas ſacrandi. Hoc habet iuris Regia Maieſtas, quod minor & ſubordinata poteſtas habet, ius inquam nominandi & præſentandi apud nos. En triplex diſſidium inter hos duos authores, & quidem in re quotidiana & vulgari: Primum eſt: Henr. collationes beneficiorum ſpectare Reges Angliæ, vt Eccleſiæ Angliæ Primates; Tooker. contra non ad Reges ſed Epiſcopos pertinere. Alterum Henricum Propria authoritate ſæpe contuliſſe beneficia: Took. nunquam conferre aut contuliſſe. Tertium Henric. ratione ſupremæ Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ præſentare ad beneficia: Tooker. Reges in hac re non habere plus iuris, quam ſubditos & Inferiores. Vtri credat Rex Iacobus, ſi pingue beneficium, aut Archiepiſcopatus conferendus ſit?

RESPON-

RESPONSIO.

FVtilis duntaxàt & hic λογομαχία, Ieſuitica. Intelligit per collationem Beneficiorum; Hainricus Collationem, præſentationem, nominationem ad beneficia, vel ipſam beneficiorum donationem. Dr. Tookerus inſtitutionem Presbyterorum, vel Epiſcoporum ſacrationem. Dr. Tookerus concedit Regi præſentationem, nominationem, donationem: Hainricus nullo modo aſcribit Regi, vel Inſtitutionem, vel Sacrationem, ſed vtramque vult Epiſcopis eſſe propriam. Præſentatio clericorum Regis ad Epiſcopum, vt eos inſtituat in beneficia illa curata, quæ ſpectant ius Patronatus Regis, vt patroni hæreditarij, non eſt multum abſimilis Præſentationibus factis per ſubditos ſuos clericorum ſuorum, qui ſimile ius Patronatus habent, niſi quod Rex per breue ſuum, cogat Epiſcopum eo in caſu refractarium, inſtituere

inſtituere clericos idoneos, per ſe, alioſue patronos, Epiſcopo præſentatos. Aſt quorundam beneficiorum curatorum præſentatio ad Regem pertinet per viam Lapſus, tanquam ordinarium ſupremum, vel vnicum ſupremum Gubernatorem Eccleſiæ Anglicanæ, per leges Angliæ communes, quas explicatis tabulis videre eſt in Becano Baculo pag. 150. & 142. beneficia vero ſine cura nonnulla ſunt, quæ nullam prorſus habent Epiſcopalem Inſtitutionem eorum Rex ſola donatione ſua, clericos ſuos legitimos facit poſſeſſores. Has res (vti hic Martinus loquitur) quotidianas & vulgares, habet certè quidem Dr. Tookerus ſatis perſpectas & cognitas. Et verba longè Doctiſſimi Regis noſtri in ſua Præfat. Monitor. ſatis memoriter tenet, hæc de Beneficiorum collatione, pag. 33. "*Quoties Franciæ*
"*Reges Pontifici obſtiterint, adeò vt*
"*nec illi in ipſa beneficiorum Collatione*
"*non aſſenſerint.* Et illa verba de Epiſcopa-

piſcopatibus a Regibus & Imperatoribus acceptis, pag. 29. "*Sed &* "*Papa ſe Imperatorum Beneficiarium* "*omni obſequio & ſubmiſſione fatebatur.*" Et pag. 31. "*De Epiſcopis Hiſpaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hungariæ, quomodo ex antiqua Inſtitutione, uſque ad modernam nouitatem, per Reges introierint cum pace temporalium purè & integrè, qui pacificè ſollicitus eſt, reuoluat vitas patrum, & hiſtorias legat, & intelligat. Walthram Naumburg. Lib. de Inueſtit. Epiſ.* Ergo igitur, vt ex illo triplici, quod Ieſuita fingit, diſſidio, triplex concordia efflorescat. Prima, Hainricus dicit collationes quorundam Beneficiorum ſpectare ad Reges Angliæ per viam lapſus, quatenus ſint Primates Eccleſiæ Anglicanæ: Tookerus, non ad Epiſcopos, ob lapſum temporis pluſquam ſeſquianni, ſed ad ſolos Reges pertinere. Altera; Hainricus dicit: Reges propria authoritate ſæpe contuliſſe beneficia: Tookerus quandoque, 40. 50. 60. aut plura

plura beneficia ſingulis annis contuliſſe. Tertia Hainricus dicit ex legibus Anglicanis; Reges ratione ſupremæ Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, Præſentare ad liberas capellas, neque vllos ſubditos, putà, Epiſcopos aut Archiepiſcopos eaſdem poſſe viſitare. Dr. Tookerus iiſdem legibus edoctus, dicit, ſolos Reges, non ſubditos & Inferiores, niſi ex donatione Regis, hoc ius habere. Poſtremo oſtendat Ieſuita, qui totus eſt in prandio, in Archiepiſcopatibus, beneficijſque pinguibus, vel vnicum verbulum in ſcripturis; vel vnicam ſententiolam in patribus illis antiquis, quo pateat, Beneficiorum collationē ad Primatem Eccleſiæ Chriſtianæ pertinuiſſe, & victoriam reportet; ſin minus, frontem ſi quam habet, hîc obmuteſcat, & hæc verba Syndici Pariſ. de Eccleſ. & Polit. Poteſt. Arg. 11. pag. 25. recognoſcat: *Illud Lucæ cap. 9. filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet; Idem eſt ac ſi perhiberet; Eccleſiam territorium*

ritorium diuinitus non habere.

Becanus.

Quæſt. 9. pag. 34. *An Rex poſſit Epiſcopos creare & deponere?*

AFfirmat Henricus Sal. pag. 121. 155. & 167. Chriſtianos Principes cum laude Epiſcopos elegiſſe & depoſuiſſe etiam Romanos, & pag. 144. Rex Angliæ Archidiacono Richmūdiæ Epiſcopalem conceſſit Iuriſdictionem. Negat Tookerus pag. 36. vbi negat, 1. Regem poſſe vel conſecrare perſonam; 2. Epiſcopatum conferre, & pag. 311. fatetur tantum abeſſe, vt Rex Iacobus poſſit Epiſcopos creare & deponere: vt potius agnoſcat ſe eſſe filium Eccleſiæ, cum Valentiniano: & Alumnum Eccleſiæ atque Diſcipulum Archiepiſcoporum ſuorum cum Theodorico Italico Rege. Hoc diſſidium magni momenti eſt: Nam ſi Rex non poteſt creare Epiſcopos, vt Tookerus, Thomas Cranmerus, qui à Rege creatus eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis, non fuit verus, ſed falſus Epiſcopus: non Paſtor per oſtium intrans in ouile ouium, ſed prædo aſcendens aliundè. Ex quo rurſum tria ſequuntur.

ſequuntur. 1. Omnes alios Epiſcopos poſtea a Cranmero vel Rege creatos fuiſſe ſimiles Cranmero. 2. Quicquid ab ijs Epiſcopali Iuriſdictione factum eſt, nullius roboris & momenti eſſe. 3. Eoſdem teneri ad reſtitutionem omnium prouentuum, quos ratione Epiſcopatuum acceperunt. Quid hic concilij capiendum? videant Academici.

RESPONSIO.

PRincipes Chriſtianos cum laude Epiſcopos creâſſe & depoſuiſſe etiam Romanos non Hainricus ſolum, ſed etiam imprimis Rex Sereniſſimus & omnium longe doctiſſimus Iacobus in Præfat. Monit. Ex hiſtorijs Eccleſiaſticis pluribus irrefragabilitèr demonſtrauit hiſce verbis ſuis, pag. 28. *Imperatores atque Reges qui religioſè Chriſtianéque vixerunt, tantum abfuerint, vt ius in ſe aliquod Pontifici eſſe crederent: vt Papas ipſi creauerint, in ordinem redegerint, adeoque de ſede dciecerint*, & pag. 29. *Sed & per ætates complurimas certum*

certum ius ac inuiolatum apud Imperatores manſit, Romanos Pontifices creandi. Teſtis mihi princeps erit ille Pontifex, qui in [a] Concilio 153. Epiſcoporum, Abbatúmque decreuit, vt Carolo Magno Imperatori ius ac poteſtas eligendi Papam, & ordinandi ſedem Apoſtolicam. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas prouincias ab eo inueſtituram accipere definiuit: vt niſi à Rege laudetur & inueſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur: & quicunque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodauit. pag. 34. Henricus poſt Conqueſtum primus, conceſſit Epiſcopatum Wintonienſem Willielmo Gifford, & continuò de poſſeſſionibus cunctis ad Epiſcopatum pertinentibus, contra noui Concilij ſtatuta inueſtiuit.

Idem Henricus dedit Archiepiſcopatum Cantuarienſē Radulpho Londinenſi Epiſcopo, & illum per annulum, & baculum inueſtiuit.

Quod vero Imperatoris aſſenſus lōgo annorum decurſu, eligendis Pontificibus

[a] Sigeb. An. 734. Wilthram. de Epiſ. inueſt. Mari. Polon. An. 780. Theod a Niem. de Priuil. & Iur. Imperij. & Diſt. 63. c Hadrian. Mat. Pariſ. in He 1. An. 1100 Idem An 1113 Idem ibid. An. 1119.

interuenerit, Platina, [a] *multique ex Pontificijs scriptoribus testes sint: atque ipse* [b] *Bellarminus hoc commodè eludere non potest. Quin & certam pecuniam, vt confirmationem obtinerent, Pontifices in Imperatorium fiscum dependere cogebantur, quem morem penè ad septingentesimum Christi annum duxisse,* [c] *Sigebertus & Luitprandus alijque Pontificiæ sectæ historici testes sunt. Sed & passim occurrunt Imperatorum Exempla, qui Romanis Pontificibus suam potestatem abrogarunt.* Hæc omnia tam solidè demonstrata, tam neruosè disputata a Serenissimo Rege lubenti animo concedet Dr. Tookerus, vt orthodoxa, præsertim cum haud ignorat Serenissimum Iacobum in Apolo. sua pro Iur. fidel pag. 127. & 128. ex sacris literis idem demonstrasse: *Sub veteri Testamento Reges haud dubiè* [e] *Gubernatores erant Ecclesiæ intra fines suos* [f] *Exauctorauerunt summum Pontificem aliumque in eius locum subrogauerunt.* Vere dicit Dr. Tookerus, Regem non

[a] *Plat. in vit. Bel. 2 Greg. 1. & Sener.*
[b] *De clericis.*
[c] *Christi. An. 680.*
[d] *In vit. Agath. Anast. Anno 670. & Dist. 63.* [c] *Agatho*
[e] 2. Chr. 19 4
[f] 1. Reg. 2. 27.

non ſacrare Epiſcopos ; Et illud etiam verè Regem eſſe Eccleſiæ filium & alumnum, etiam diſcipulũ non ſolum Archiepiſcoporũ,& Epiſcoporũ, verumetiã Presbyterorum, (quorum multo plures Religioſiſſimus Rex concionantes audit) nempe quoad officia miniſterialia, ſed non quoad ſupremam Eccleſiæ Gubernationem. Sic enim Dr. Tookerus pag. 311. de Rege Edwardo ſexto. *Titulum & ſtolam Pontificiam aſpernabatur, Primatu nihilominus Chriſtiano ſibi retento, quo ſalubrius Eccleſiæ conſuleret ac in longitudinem temporis prouideret.* Sic de Rege noſtro Iacobo alijſque omnibus Regibus Chriſtianis pag.312. *Sunt quidem Reges Chriſtiani, aliíque Principes, ſummi ac ſupremi omnium perſonarũ Gubernatores, fueruntque tales in decurſu temporum primæuæ ac purioris Eccleſiæ in ditione ac Imperio ſuo.* Et pag. 313. *Non tamen ſunt Præſules in ordine Hierarchico, quantumuis, Primatum tenent in regimine Chriſtiano. Debent eſſe*

tanquam communes Episcopi [illegible] *cum Constantino, & si opus sit, habent condere leges, & constitutiones Canonicas cum Carolo Magno, Ludouico Pio, Lothario, visitationem instituere cum Iehosaphat, cum Ezechia, Solomone, Dauide, ordinare rem Ecclesiasticam.* Et quidni cum Solomone exauctorare summum Pontificem, aliumque in eius locum subrogare? In quam sententiam sic scribit Dr. Tookerus pag. 152. *Totum hoc quantumcunque est, quod est maximum, pietatis, religionis, iurisdictionisque Regiæ, documentum ordinarium est. Maneat ergo hoc firmamentum causæ nostræ, Solmonem authoritate sua ordinaria suffultum, Pontificem deiicere potuisse, atque in ordinem redegisse: proinde vanam esse Pontificum vestrorum tactantiam, qui gloriantur se a laicis Principibus non posse loco moueri. Planè hoc in sacra historia deprehenditur.* Qua igitur fronte Becanus tam crassum hoc mendacium his verbis protulit? Vnde etiam alibi fatetur, tantum abesse,

esse, vt Rex Iacobus possit Episcopos creare & deponere, vt potiùs agnoscat se illorum alumnum & discipulum? Quasi verò Solomon, non se agnorit Ecclesiæ alumnum, & Sacerdotum discipulum, quin Pontificem maximũ Abiatharẽ exauctorârit, & Zadochum in eius locum subrogârit; versatur Iesuita Sophistarum instar in ignoratione Elenchi. Porro Dr. Tookerus pag. 37. sic scribit: *Rex concedit suam Regiam licentiam eligendi canonicè personas idoneas toties, quoties pastorali solatio eædem Ecclesiæ sunt viduatæ.* Dicámne tibi lector candide prout res est? Quoniam in re quotidiana & vulgari versamur, sic eam habeto: Rex viduata Ecclesia Cathedrali, mittit Regium suũm, *Conge deslire* Decano & Capitulo, mandans vt Episcopum vel Archiepiscopum quamprimùm eligant, sed hac cautione, vt eum solum eligant, & nullum omninò alium, quem Rex singulariter sub pœna (dempta morte) grauissima, scili-

cet præmunire, nominat Episcopi vel Archiepiscopi sic electi, scilicet per Regem nominati, sub eadem pœna præmunire, ab Archiepiscopo & Episcopis sacrandi sunt. Quid hoc est aliud, (te lector iudice) quam reuerâ, (nec enim formalitates moror) Episcopos aut Archiepiscopos creare? verumenimuero, (vt hic ritè Martinus, & vt beatissimum illum Martyrem D. Thom. Cranmerum Arch. quondam Cant. in cælis, vbi cum Christo est, sinamus interquiescere,) hoc dissidium magni momenti est, nam si per ætates complurimas, vi iuris Canonici certè Papalis, vt explicatis historiarum Ecclesiasticarum tabulis accuratissimè Serenissimus Rex demonstrauit, Imperatores Romanos Pontifices crearint, Papas elegerint, sedem Apostolicam ordinarint; si Archiepiscopi & Episcopi per singulas prouincias ab ijs inuestituram acceperint; tum (vt statuunt, Scriptores Pontificij, imprimis vero Patres

tres Ieſuitæ) omnes illi, tot Annorum centurijs Pontifices Romani, (vt de inferioribus illis Archiepiſcopis verbum nullum faciam) *non Paſtores, per oſtium intrantes in ouile, ſed prædones aliunde aſcendentes extiterunt.* Ex quo rurſum tria ſequuntur. Primo, *Omnes illos Epiſcopos ab Imperatoribus vel Regibus creatos, Apotacticos & Apoſtaticos potiùs fuiſſe*; (vt Genebrardus de illis ſcribit) *quàm Apoſtolicos.* Secundo, *Quicquid ab iis authoritate & Iuriſdictione Epiſcopali factum eſt, nullius roboris & momenti eſſe.* Tertio, *Eoſdem teneri ad reſtitutionem omnium prouentuum quos ratione Epiſcopatuum acceperunt*; vide'n Ieſuita, vt in te cudatur faba? *Quid hic concilii capiendum*; videant Academici, abſorptis iam Sorboniſtis, qui ſoli eminere volunt, Patres, ſi (Deo placet Layolitico) Ieſuitici.

Becanus.

10. Quæſt. *pag.* 36. *An Rex poſsit ſubditos contumaces Excommunicare?*

Hic Angli redigunt Regem ſuum ad communem ordinem. Aiunt Tookerus pag. 15. Et Sacellanus pag. 151. Et Thomſonius pag. 83. Et pag. 84. ſic: Omnes fatemur Regem Excommunicandi poteſtatem nullam habere. Et Burhillus pag. 137. cum ait: Quod Ambroſio licuit in Theodoſium, idem & alijs in Regem ſimili de cauſa liceat. Id eſt, Sicut Ambroſio Epiſcopo licuit excommunicare Theodoſium Imperatorem, ita & noſtris Epiſcopis licet excommunicare Jacobum Regem, ſi ſimiliter peccet; & pag. 242. Supremus Eccleſiæ Gubernator (nempe Rex) *poteſt eijci ex Eccleſia.* Non video quomodo hæc cohæreant cum ijs quæ hactenus tributa ſunt Regi, ſcilicet quod ſit Primas & Caput Eccleſiæ Angl. quòd ſit ſupra omnes perſonas Eccleſiaſticas in regno ſuo, & quod habet ſupremam, ampliſſimã & pleniſſimã Iuriſdictionem Eccleſiaſticam; tamen nec quẽquam ſubditorum poteſt excommunicare. Aſt poteſt a ſubditis ſuis vno vel pluribus excommunicari. Addam

tria

tria argumenta, quæ augebunt difficultatem. 1. Rex habet Supremam Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, vt Tookerus & Salcolbrigienſis fatentur. Ergo poteſt exercere omnes actus, qui pertinent ad Iuriſdictionem Eccleſiaſticam. Ergo etiam poteſt excommunicare, vel ſic: Rex in ſuo regno non poteſt exercere omnes actus Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, *videlicet*, non poteſt quenquã excommunicare. Ergo non habet ſupremam Eccleſiaſticam Iuriſdictionem. 2. Rex dat Epiſcopis poteſtatem excommunicandi, nam Tookerus fatetur pag. 304. Epiſcopos omnem Iuriſdictionem Eccleſiaſticam fori exterioris acciperè à Rege. At Poteſtas excommunicandi pertinet ad Iuriſdictionem fori exterioris, vt expreſſè docet Sacellanus pag. 41. & Tookerus pag. 305. cum ait: *Rex habet omnem Iuriſdictionem ſpiritualem in foro exteriori, exceptis* quibuſdam cenſuris. Excipit autem excommunicationem. 3. Rex alicui alteri, nempe Epiſcopo ſubiectus eſt in Iuriſdictione Eccleſiaſtica fori exterioris, quia poteſt ab eo per ſententiam excommunicari, & ex Eccleſia eijci. Vt Burhillus pag. 242. & 137. Ergo non habet

habet ſupremam, ampliſſimam, pleniſſimam Iuriſdictionem Eccleſiaſticam. Aduertis opinor hæc non cohærere.

RESPONSIO.

ADuerto te egregium herclè ſi Ieſuitis placet diſputatorem. Sed primò de quæſtione: Quæris An Rex poſſit ſubditos excommunicare? R. Epiſcopus Elienſis pag. 151. Dr. Tookerus pag. 15. Mr. Thõſonius p. 83. & 84. verè de omnibus Scriptoribus noſtris ſic: Omnes fatemur, Regem excommunicandi poteſtatem nullam habere. Ecquod hic in maxima concordia diſſidium? Anglicanum profecto nullum. At fortaſſis *Becanicum*. Non in eo an Rex excommunicare poſſit? ſed in hoc, An Rex poſſit excommunicari? Officia Primatus Eccleſiaſtici ſibi diſcutienda proponit *Becanus*. An verò in illis hoc numeratur? ſcilicet. *Primatem poſſe à ſubditis excommunicari?* Hic igitur extra oleas ſophiſtarum more

more vagatur Iesuita. Sed operæ-precium iam est admirabilem eius ponderare dialecticam, qua forte fiat, vt ex summa nostrâ cõcordia, dissidium exprimatur Anglicanum. Sic igitur ille primà disputat. Rex non potest exercere omnes actus inferioris Iurisdictionis Ecclesiasticæ, putà non potest excommunicare: Ergo non habet supremam Iurisdictionem Ecclesiasticam. Pudet me Iesuiticæ hic Infantiæ. An vero τὸ κρινόμενον eum latet? Quæritur de vnico supremo Gubernatore Ecclesiæ, in rebus omnibus Ecclesiasticus, & supra omnes personas Ecclesiasticis. De officio vnici illius supremi gubernatoris, vt vnici supremi gubernatoris quæritur. Iuxta illud Augustini Epist. 50. Bonifacio: *In hoc ergo seruiunt Domino Reges in quantum sunt Reges, cùm ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges.* Si excommunicare spectat ad Primatem, vel quod idem est vnicum supremum: Ecclesiæ gubernatorem, vt Primatem

tem; tum quot Episcopi, quot Archidiaconi etiam infimi (nam & illi possunt excommunicare) tot erunt, (quod absurdissimum est) vnici supremi Gubernatores Ecclesiæ. Viden' quo in luto hęres? Potestatem excommunicandi quod attinet, sic habeto: Rex quidem excommunicare neminem potest. At potest consensu ordinum Regni, vel Parliamenti, leges Ecclesiasticas condere, quarum vi, hic aut ille excommunicari debet. Potest etiam Rex Episcopo personam aliquam illegitimè excommunicanti, præcipere, vt eum absoluat. Secundo sic disputat: Rex dat alijs potestatem excommunicandi: Ergo ipse potest excommunicare. Huius argumenti vim esse nullam, discat Iesuita ex Bernardo suo, qui etsi orthodoxè hîc non dogmatizat, tamen ad vim huius consequentiæ eneruandam, accuratè sic distinguit: *Conuerte gladium tuum in vaginam: Tuus ergo & ipse: tuo forsitan nutu, etsi non tua manu, euaginanaus: vterque*

ter que ergo eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet, gladius, & materialis: Sed is quidem pro Eccleſia, ille vero, & ab Eccleſia exerendus eſt: ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum ſacerdotis, & iuſſum Imperatoris. Tertio ſic diſſerit: Rex eſt ſubiectus Epiſcopo Regem (veluti Ambroſio Theodoſium) excommunicanti. Ergo non eſt vnicus ſupremus gubernator in regno ſuo ſupra omnes perſonas Eccleſiaſticas, & in rebus omnibus Eccleſiaſticis.

Hoc Argumentum ſi obtineat, Papa quidem tuus, diutius Papa, id eſt (vt vos) Eccleſiæ primas non erit. Nam Papa Sacerdoti, cui tenetur confiteri in illo actu ſubiectus eſt. Sic enim *Panormitanus*: [a] *Papa tenetur confiteri, & in illo actu, Sacerdos eſt maior illo. Sacerdos poteſt illum ligare & abſolvere.* Papæ [b] multi Epiſcopis ſubiecti extitere, nempe ab illis, in ius vocati, iudicati, excommunicati, Papatu exuti; iuxta illud juris etiam tui [c] Canonici: *Cum agitur de fide, tùm Synodus*

a *Extra de Pœnit. & Remiſſ.*
b *Vide Concil. Conſtant. & Baſil.*
c *Diſt. 19. Anaſtaſius in gl. fi.*

dus maior est quàm Papa. Fallit ergo Iesuita à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Reges nostros quoad sacerdotalia officia, non primates esse docemus, sed priuatos, non Episcopo modò, sed etiam quo libet inferioris cuiusque ordinis sacerdote minores. Iuxta illud *Valentiniani Augusti. Ego sum in sorte plebis* [a] *Augusti: Et eum* [d] *collocatè in Pontificali solio, cui nos quoq; moderatores imperij nostra capita submittamus.* Papales Excommunicationes, vel infimi alicuius plebei Regis nostri subditi multo magis ipsius Regis, per leges huius regni communes, multo ante natum Henricum Octauum, nullarum prorsus virium fuerunt, prout te pluribus, in tuo iam facto Becano Baculo docuit Hainricus. Vbi etiam docuit ex ijsdem legibus, Regem Angliæ, supremum esse huius regni Ordinarium. Vel, vt habetur in iuramento primatus; *vnicum supremum Ecclesiæ Anglicanæ gubernatorẽ.* Quem tamen non diffitemur ab Episco-

[a] Sozom. lib. 6. c. 7.
[d] Theod. l. 4. ca. 5.

Epiſcopo, cui Eccleſiaſticam iuriſdictionem ipſe tribuit, vt olim ab Ambroſio Theodoſium, iuſtiſsima ſi cauſa ſubſit, ſuſpendi poſſe à recipienda Chriſti cæna, è manibus ipſius Epiſcopi, nequaquam vero forma iudiciaria & Conſiſtoriali, ex Eccleſia eijci, fallitur enim Ieſuita, lõgéque & multum fallitur, ſi actionem illam Ambroſianam, ſolennem fuiſſe putet canonicam, & propriè ſic dictam excommunicationem. Quod ego ſolidis, pluribuſque argumentis euincam, cum opus fuerit. Interim oſtendat, An Theodoſius ab Ambroſio ad Conſiſtorium eius canonicè citatus? An Imperator pro ſe reſpondit ibidem per ſe vel procuratorem ſuum? An ibidem ſententia excommunicationis pro tribunali lata, An in facie Eccleſiæ canonicè promulgata, antequã Imperatori in templum ingreſſus interdictus eſt? Quo præcepto, quo exemplo, ſolus Ambroſius, ſine omni vel presbyterorum ſuorũ, vel aliorum Epiſcoporum

porum Concilio Imperatorem tot regnorum excommunicauit, præsertim quum Ambrosius, nec Papa, nec Patriarcha fuerit? Rationem etiam reddat Iesuita, cur Ambrosius Imperatorē humillimum pijssimumque Theodosium in facto duntaxat deuiantem excommunicando calcaret: Constantinū verò, superbissimum, impium, hæreticum Arrianum non attingeret? Postremò quæritur, An omnes homicidæ apud Mediolanos excommunicati? Certé apud nos nulli, vt credo etiam, apud Moguntinos pauciſsimi.

Becanus.

11. Quæst. pag 40. *An Rex sit index omnium controuersiarum in Ecclesia?*

Controuersiæ in Ecclesia, sunt aliæ circa fidem, & religionem; aliæ circa res alias. Henric. Sal: affirmat Regem esse iudicem in vtrisque controuersijs pag 163. Sic luce clarius est, Christianos principes cum laude, controuersias fidei diju-

dijudicasse & diremisse, etiam in vniuersalibus octo Concilijs, id est Nic. 1. Constant. 1. Ephes. Calcedonens. Constant. 2. Canstant. 3. Nic. 2. Constant. 4. De Christi diuinitate, vna personâ, duabus naturis; de Spiritus Sancti diuinitate &c. Has omnes cõtrouersias affirmat Salcolb: ab Imperatoribus, & Principibus secularibus dijudicatas ac diremptas esse. At contra Tookerus pag. 3. & pag. 313. Reges Christiani non sunt fidei ac religionis iudices. Et pag. 50. Rex in suo regno fidei iudex ne appelletur quidem. Igitur si in Anglia oriretur dissensio de aliquo puncto fidei & religionis. Vt V. G. de reali præsentia Christi in Eucharistia; quid facerent Academici, quid ciues, quid reliqui subditi? An adirent Regem tanquam iudicem, & ab eo sententiam peterent? Non faceret Tookerus. An alium iudicem postularent? At alium non feret Salcolbrigiensis. Quid ergo futurum esset. Id planè quod hactenùs factum est de Primatu Regio. Semper litigant Angli de hoc Primatu, nunquam finiri lis potest. Quid causæ? quia diuersi diuersa sentiunt, & certum iudicem qui litem dirimat, reperire non possunt;

ſunt; vel potiùs non volunt. Hæc hæreticorum proprietas eſt. Iam quoad alias controuerſias. Sal: ſic pag. 165. *Audin'* controuerſias Epiſcopales ab Imperatoribus diremptas? Quid ſentiat Tookerus, non ſatis conſtat nam pag. 24. Nemini, inquit, dubium eſt, quin in Primitiua Eccleſia de rebus & perſonis Eccleſiaſticis, ius dicerent Imperatores. At pag. 23. *Non eſt Princeps ſupra res, ſed ſupra perſonas*, & pag. 49. *Rex in ſuo regno ſupremus eſt, non ſupra res, ſed ſupra homines, vbique diſsidium.*

RESPONSIO.

IN controuerſijs fidei dijudicandis Regem eſſe ſupremum fidei Iudicem, penitus negat Hainricus; Negat etiam Dr. Tookerus; In alijs controuerſijs Imperatores Chriſtianos, de rebus & perſonis Eccleſiaſticis ius dixiſſe; aſſerit Dr. Tookerus, aſſerit etiam & Hainricus. Nullum hic omnino diſsidium. Optima potius concordia eſt. Sed Duplicis hîc falſi crimine tenetur Ieſuita. Primo, cum ſcribit Hainricum affirmare,

mare, Regem ratione ſui Primatus ſupremum eſſe iudicem omnium controuerſiarum; quum ille ſtatuit, non modò non Regem, ſed etiam mortalium neminem, neminem Angelorum, ſupremum illum eſſe Iudicem, non Petrum iuxta illud: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Proinde omnium minimè Papam Romanum qui etiam ſcripſit, Patrem nullum, illud: (Supremum eſſe iudicem omnium controuerſiarum) inter officia Primatis Eccleſiæ, vel Eccleſiaſtici Primatus numeraſſe. Secundo, quum affirmat *Becanus* hic: *vbique diſsidium*. Verumenimuero, Chriſtianos Principes cum laude, controuerſias fidei dijudicaſſe ac diremiſſe, ex illis quæ ſic Socrates Lib. 5. cap. 10. *Theodoſius omnium ſectarum concilium indici præceperat: Imperator quum intelligeret multiplicem eorum diſſenſionem, imperat, vt ſingulæ ſectæ, fidei, quam quæque tenebat, declarationem literis proderent. Illi dogma ſuum ſcriptis mandarunt.*

Sectarum Episcopi ad Palatium accersiti conueniunt. Imperator capit cuiusque dogma scriptis proditum. Deinde se in locum separatum solum concludit, precatur obnixè vt Deus illi ad veritatem eliciendam opem ferre vellet. Postremo dogmate cuiusque perlecto, cætera omnia damnat & lacerat, solam autem consubstantialis fidem laudat, approbatque. non tantum Hainricus : sed ante eum Grauissimus ille Episcopus Wintonienſis & eruditissimus, libro de Christiana subiectione, impress. Londini Anno 1586. Etiam ante eum Episcopum, Episcopus Sarisburiensis ille longè doctissimus Iuellus in Defens. Apolog. latin in eandem planè sententiam collegit atque concluſit. In ipsa autē Apologia Eccleſiæ Anglicanæ p. 171. verba eius hæc sūt. *Theodosius Imperator, vt ait Socrates lib. 5. cap. 10. Non solum sedit inter Episcopos, sed etiam causæ disceptationi præfuit, & hæreticorum scripta laceranit, & catholicorum sententiam comprobauit.* Quod scribit Hainricus

Bilſ. part. 2 pag. 244. in offauo.

Iuel. part. 6. Ca. 13. Diuiſ. 2. pa. 524.

cus de controuerſijs fidei, hîc à Martino memoratis, vtpote in illis 4. primis generalibus Concilijs (Nicænum enim illud 2. non tam Concilium, quàm futiliſſimum & impium Conciliabulum dicendum eſt) per Imperatores ibidem Præſidentes, & ex conſenſu ſynodi concluſiones, & iudicia facientes, dijudicatis ac diremptis, id multo ante eum Epiſcopus Iuellus, par. 6. ca. 13. D. 1. pa. 522. Ex ipſo Cardinali Cuſano (cui ſoli plus fidei, quam Becanorum myriadibus tribuendum eſt) in hæc verba tranſcripſit. *Siendum eſt quod in vniuerſalibus octo Concilijs &c. ſemper inuenio Imperatores, & iudices ſuos, cum ſenatu Primatum habuiſſe, & officium præſidentiæ, & ex conſenſu ſynodi concluſiones & iudicia feciſſe, &c.* Quid hoc aliud quam controuerſias fidei dijudicaſſe ac diremiſſe? Sed ecce lepidus (ſi dijs placet Ieſuitis) in re ſeria videri vult Ieſuita. Sic igitur placet, & quidem ſuis verbis (tranſpoſitis duntax-

De concord. l. 3. cap. 16.

at terminis) ludere : *Igitur si in Roma oriretur de aliquo puncto fidei ac religionis vt v.g. De Primate Ecclesiæ*, vel quod idem est, de *vniuersali Episcopo*, quid facerent Patres Iesuitici, iam inuita Sorbonæ Minerua, Academici ? quid ciues Romani, quid reliqui Papæ subditi ? An *adirent* Papam Paulum quintum, tanquã *Iudicem*, & *ab eo sententiam peterent ?* non faceret id Papa Gregorius Magnus. An *alium Iudicem postularent ?* At alium non feret Bellarminus. *Quid ergo futurum esset ? Id planè quod hactenùs factum est in dissensione de Primatu* Papali. *Semper litigant Papicolæ de hoc primatu, nunquam finiri lis potest. Quid causæ ? quia diuersi diuersa sentiunt, & certum iudicem qui litem dirimat, reperire non possunt, vel potius non volunt. Hæc hæreticorum proprietas est.* Vel vt propius ad Becanum accedamus. Oriatur dissensio de hoc puncto fidei ac religionis Papisticæ : An *fides hæreticis sit seruanda ?* Quid facerent Iesuitici Academici ?

mici? &c. An adirent Paulum quintum Iudicem? non faceret Becanus. An alium iudicem postularent? At alium, non ferret Baronius, non ipse etiam Ignatius Layola, si in viuis esset, Pater Iesuiticus, artem æquiuocandi, proinde fidem fallendi, qui tradidit. Infinitus hic esse possem, sed reprimam me, Oriatur dissensio de corpore Christi in Eucharistia, scilicet; An frangi verè possit dentibus fidelium & atteri? iuxta illud decret. par. 3. dist. 2. cap. 42. Quid facerent Romani Catholici? An adirent Paulum quintum tanquam Iudicem? non faceret palinodiã canens Berengarius. An Nicolaũ Papam? non ferret Bellarminus, qui sic scribit de sacramento Eucharist. lib. 3. cap. 10. *Christus verè in sacramento existit, sed non teritur, non roditur.* Denique in reali corporis Christi præsentia in cœna, si in Roma oriretur dissensio, An corpus Christi in Eucharistia sit *realiter præsens absque magnitudine*, vt Durandus tenet in 4. Dist. 10. q. 2.

Vide Concil. Constantiense sess. 19.

An cum *magnitudine*, *ſed abſque diſtinctione partium corporis*, vt Okam in 4. q 4? An tertio, *cum magnitudine, & omnibus diſtinctis partibus*, vt Bellarminus de Euch. l. 3. c. 5? Quid hic futurum eſſet? *Semper litigant Pontificij de reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, nunquam finiri lis poteſt. Quid cauſæ? Quia aliter ſi diuerſa ſentiunt, & certum Iudicem qui litem dirimat, reperire non poſſunt, vel potius non volunt. Hæc hæreticorum proprietas eſt.* Poſtremo notandum hic eſt vafrum Becani ingenium planéque Ieſuiticum. D Tookerus pag. 23. affirmat Principes eſſe ſupra perſonas non res: ſic *Rex* inquit, non *eſt ſupra Sacramenta & verbum, nec ſuper eccleſiaſticalia chariſmata.* Tum eadem pagina ſubiungit: *Sole ipſo manifeſtius oſtendam, primariam Regis curam agendam eſſe pro rebus ac cauſis eccleſiaſticis Primatumque regis in eo munere perfungendo potiſſimùm conſiſtere.* Hinc Ieſuita, Rex non eſt ſupra quaſdam res Eccleſiaſticas, id eſt

eſt, vt D. Tookerus, *Sacramenta, verbum, Spiritualia Eccleſiæ chariſmata*, Ergo non eſt ſupra vllas res Eccleſiaſticas, verbi gratia *controuerſias Epiſcopales*, contra expreſſam eadem pagina D. Tookeri ſententiam.

Becanus.

Quæſt. 12. pag. 43. *Vnde & quo titulo Rex habeat Primatum in Eccleſia.*

SEnſus eſt, an Rex ex eo præciſè, quia Rex eſt, an ex eo potius, quia Rex Chriſtianus eſt, habeat Primatum Eccleſiæ? Priorem partem videtur amplecti Thomſonius pag. 78. Cum ſic ait. Omnes Principes etiam Pagani obiectiuè habent ſupremam poteſtatem in omnes omninò perſonas ſuorum ſubditorum, & generatim in res ipſas, ſiue ciuiles ſint, ſiue ſacræ, vt in cultu diuino, & in religione procuranda, ſaltem quoad modum & exercitium, & pag. 94. Primatus eſt Regium bonum, quod cenſura tolli non poteſt: nec eſt abſurdum, Regem velut Ethnicum, eſſe Primatem Eccleſiæ: Et ibidem, Rex Ethnicus cum Chriſto initiatur, non acquirit Primatum de nouo

uo. Cui consentit Burhillus, pag. 251. Rex inquit, titulo Regis temporalis, potest sibi vindicare, & assumere Primatum Ecclesiæ, & pag. 267. Rex etsi iustissimè excommunicatus, non amittit Primatum in rebus Ecclesiasticis. Contrarium docet Sacellanus in Tort. Tort. pag. 39. verba eius hæc sunt; An non Regi Ethnico præstare fidem fas? Immo nefas, non præstare. In Ethnico enim est vera potestas temporalis, idque sine ordine ad potestatem Ecclesiasticam. Et paulo post: Rex quiuis, cum de Ethnico Christianus fiat, non perdit terrenum ius, sed acquirit ius nouum. Itidem cum de Christiano fit sicut Ethnicus, vigore sententiæ amittit nouum ius, quod acquisiuerat, sed retinet terrenum ius in temporalibus, quod fuerat illi proprium, priusquã Christianus fieret. Ex sententia Thomsonij, & Burhilli sequitur omnes Reges Christianos, Ethnicos, cuiuscunque sectæ ac religionis, habere primatum ecclesiæ in suis regnis. Igitur omnes Anglos, qui viuunt, Constantinopoli subiectos esse Imperatori Turcarum in rebus Ecclesiasticis, qui in Hispania Philippo Regi, qui Romæ Pontifici, &c. Quid ergo faciunt, si Turcarum Imperator iubeat eos

Al-

Alcoranum ſequi; ſi Rex Hiſpaniæ admiſſam audiendam adigat; ſi Pontifex ad orandum pro defunctis; ſi rex Gentilis ad idololatriam impellat? An parebunt Imperio? At contra conſcientiam facerent. An non parebunt? Sic actum eſt de Primatu Eccleſiæ. Dicent fortè ſe parituros, vbi viſum eſt. Ergo ne ſubditi erunt Iudices ſuorum Regum? Ergo ne Catholici in Anglia poterunt vſurpare hanc vocem: *Audi Rex* in hoc puncto viſum eſt parere tuo imperio, in iſto non eſt.

RESPONSIO.

IEſuitam hoc in loco, vel ſui obliuio cepit, vel occupauit inſania; paſſim aſſerit Regem nullum, ſiue Ethnicum, ſiue Chriſtianum, aliquem habere in Eccleſia Primatum. Hic quærit vnde, & quo titulo Rex habeat Primatum in Eccleſia? Quærit igitur originem eius rei, quam rem nullam eſſe, proin originem nullam habere, ſtatuit. Si tollit ſuppoſitum, viz. Regem habere Primatum in Eccleſia, vel ex eo præciſè, quia Rex eſt

eſt, vel ex eo quia Rex Chriſtianus eſt: ineptus eſt Sophiſta: (neque enim ſic diſputat: Rex, ſi habet Primatum Eccleſiæ, habet vel vt Rex, vel vt Rex Chriſtianus: neutro reſpectu habet: ergo non habet) ſi concedit: quum hoc conſtat Sereniſſimum Iacobum, & ortu Regem eſſe, & religione Regem Chriſtianum; Inſanus eſt rixator, nam quia ex poſitis hic, & ex ſuppoſito *Beccanico*, Rex habet Primatum Eccleſiæ, quid refert, vtrum Primatum habeat, ex eo præciſè quia Rex, an quia Rex Chriſtianus; dummodo primatum habeat? vmbratilem igitur hanc & futilitate plenam quæſtionem, non eſt quod quicquam moremur. Præterea non a Regio titulo, ſed ab ipſo Deo, Primatus Eccleſiæ originem ſuam ducit. Moſes Primatu Eccleſiæ Iſraelis inſtructus fuit, nequaquam verò Titulo (propriè ſic dicti) Regis inſignitus. Aſt vt nullum, hîc rem ipſam quod attinet, diſſidium eſſe appareat; Multis ſolidè quidem & Orthodoxè oſten-

oſtendit Epiſcopus Elienſis, Tort. Tort.pag.377,Primatum Eccleſiæ ad Reges Ethnicos, vt Ethnicos, non pertinere: ſed ad Reges, quia Chriſtiani ſunt, aut veritatis diuinæ propugnatores, verba eius hæc ſunt. *Et ſunt iſta quidē ex Teſtamento veteri ſatis ſolida fundamenta. Non quod ad reges infideles Primatum pertinere probent, non ſanè magis ad hos in nouo, quā ad Ahaſuerum, vel Nabuchodonoſor in veteri (delirat hæc Tortus) ſed quod Cæſari, ſi Chriſtianus fiat, vt Conſtantino, idem iuris ſit in Eccleſiam quod in veteri Ioſiæ fuit, reditus ſtatim ſit ad iura Regum Iſrael, quamprimum facti ſunt Reges Iſrael Dei, & eorum quiſque Chriſto nomen dederit. Non ergo id agitur, vt Eccleſiæ perſecutores Tiberij, Caij, Eccleſiæ gubernatores habeantur; quem ſi quis eis titulum deferret, ne ſuſciperent quidem, vt qui Eccleſiam ipſam totis viribus extirpatum iuerint. Tum demùm verò Eccleſiæ gubernacula capeſſant, cùm conuerſi ad fidem fuerint. Debentur Cæſari quæ Cæſaris ſunt:* deben-

Debentur autem Cæsari Christiano, quæcunque olim à populo Dei sub veteri lege Regibus suis officia, vel debita, vel persoluta sunt: quibus & debita tum erant & persoluta, subiectio & obedientia, non in regni rebus solùm, sed etiam ecclesiæ. Verissima hæc quidem sunt, & aptissima quibus accepimus Reges Ethnicos, vt Ethnicos, Primatum Ecclesiæ non habere. Sed quid si illorum etiam Ethnicorum Regum corda Deus sic gubernet, vt pro veritate diuina aut cultu Dei contra errorem iubeant, & etiam leges condant. An non ibidem, *iubet Deus etiam propter conscientiam obedire principibus Ethnicis*? Caueat sibi Iesuita, ne negat; sunt enim ipsa *Bellarmini* verba *de Ro Pont l.5.c.2.* Sin dubitet, audiat sic se docentē Augustinum Epistola 166. ad Donatistas: *Quando Imperatores veritatem tenent, & pro ipsa veritate contra errorem iubent, quisquis illud contempserit, ipse sibi iudicium acquirit. Nam & inter homines pœnas luit, & apud Deum frontem,*

non

non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor Regis (ipsa veritas iusit: In quam sententiam sic scribit Orthodoxè de Principibus, etiam Ethnicis R. Episcopus Tort. Tort. pag. 381. *Quodcunque in rebus Religionis Reges Israel fecerunt, nec sine laude fecerunt. id vt ei faciendi ius sit, ac potestas, leges authoritate Regia ferendi, ne blasphemetur Deus (non negabitis fecit Rex Babel Dan.3.29.) vt ieiunio placetur Deus; fecit Rex Niniue Ion.3.7.* In eandem sententiam multis ante eum retro sæculis, atque his verbis scripsit Augustinus Epistolâ 50. Bonifacio viro militari: *Sed illud propheticum iam impletur. Ps. 2. Et nunc Reges seruite Domino in timore. Quomodo ergô Reges Domino seruiunt in timore nisi ea quæ contra iussa Domini fiunt, religiosâ seueritate prohibendo atque plectendo? Quia verò etiam Rex est, seruit, leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conueniente vigore sanciendo. Sicut seruiuit Ezechias, lucos, & templa Idolorum destruendo*

endo. Sicut seruiuit Iosias talia & ipse faciendo. Sicut seruiuit Rex Niniuitarum, vniuersam Ciuitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut seruiuit Darius Idolum frangendo. Sicut seruiuit Nabuchodonozor, piam & laudabilem legem pro veritate constituendo, vt quicunque diceret blasphemiam in verum Deum Sydrac cum domo sua penitus interiret. In hoc ergo seruiunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, cum ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges. Hæc igitur, si accuratius distinxisset noster Iesuita, facilè agnouisset, M. Burhillum & M. Thomsonium cum R. Episcopo hac in re consentire. Præsertim quùm Mr. Thomsonius pag. 78. sic scribit expressè & distinctè: *Omnes Principes etiam Pagani obiectiuè habent supremã potestatem in omnes subditos ũ suorũ personas, & Res siue Ciuiles siue sacras saltem quoad modum & exercitium. Quod omnium nationum historiæ testantur. Etsi autem Ethnici, potestate illa contra Deum usi sint, ho-*

minum

num illud, potestate à Deo sibi in bonum finem datâ abutentium, non potestatis vitium fuit. Verùm longè specialiori ratione hæc potestas in rebus Ecclesiasticis, Regibus olim Israelis, & nunc Christianis competit. Nam & illi eò quòd de Synagogâ erant; & hi, eò quòd de Ecclesia sunt, Matus quoddam & specialius ius acquirunt, in his talibus causis, quàm eo quod simpliciter Reges sunt. Profectò aliter Cyro dicitur; Pastor meus es: aliter Dauidi, Tu pasces populum meum Israel. Quod alibi monere memini R. Episcopum. Et pag. 94. Becanum alloquens, sic concludit: *Hæc facilia sunt intellectu, & miror te tantum Theologum hîc hæsisse.* Constans hâc in re vbique Concordia est: dissidium omninò nullum Anglicanum. Sed duo hic notanda occurrunt. Primò Iesuitæ dialectica. Secundò Iesuitæ candor vel inscitia: vel saltem dissidium Iesuiticum, vel deinque per ipsos Iesuitas, Primatus Ecclesiæ regius constabilitus. 1. Sic argumentatur ex sententiâ Thom-

ſonij & Burhilli. omnes Reges etiam Papiſtici, etiam Ethnici, habent Primatum in ſuis regnis. Ergo omnes in illis regnis viuentes, omnia illa debent facere, quæ ab illis Regibus etiam impiè mandata ſunt. Hæccine Theologia Ieſuitica eſt? Mat. 23.2 *Ieſus ſic* locutus eſt diſcipulis ſuis: *In Cathedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæ dixerint vobis vt ſeruetis, ſeruate & facite.* Act.4.v.18. Illi etiã Phariſæi in Concilio vocatis ipſis Apoſtolis *denunciarũt, ne omnino loquerentur, aut docerent in nomine Ieſu.* Ergo (inferret Ieſuita) obtemperandum eſt illis. In nomine Ieſu diutiùs non docendum. At aliter Petrus & Iohannes reſpondẽtes dixerunt eis. *An apud Deum iuſtum ſit, vobis potius auſcultare, quam Deo, iudicate.* Iuxta illud etiam Iſidori in Iure Canonico, C Si is qui præeſt. 11. q. 3. ex Baſilio habet: *Si is qui præeſt, prohibet vobis quod à Domino præceptũ eſt, vel rurſus imperat fieri, quod Dominus prohibet, execrabilis ſit omnibus qui*

qui diligunt Deum, & tanquam falsus testis Dei, & sacrilegus habeatur. Romano-Catholici Veneti, & Sorboniſtæ, alijque etiam nobiles Gallici quamplurimi, Papam quidem agnoſcunt habere Primatum Eccleſiæ. Sed ſi Pontifex Romanus illos iuberet, *ſubiectos eſſe Papæ in temporalibus, etiam in ordine ad ſpiritualia,* (multo magis, ſi eos iuberet Alcoranum ſequi) an parebunt imperio? Ac contra conſcientiam facerent. An non parebunt? Sic actum eſt de Primatu Eccleſiæ. *Dicent fortè ſe paritu-ros, vbi viſum eſt. Ergonè ſubditi erunt iudices ſuorum Regum? Ergonè Catholici in Gallia, in Venetijs poterunt vſurpare hanc vocem: Audi Papa. In hoc puncto viſum eſt parere tuo imperio, in iſto non eſt?* 1. *Becanum* ſic diſputantem audiuimus. 2. Candorem eius, vel inſcitiam videamus. Verba R. Elienſis Epiſcopi Tort. p. 39. hæc ſunt. *Dominia non fundantur in fide: ſic infidelitate non euertuntur. Quin Rex quiuis cum de Ethnico Chriſtianus fit,*

non perdit terrenum ius, sed acquirit ius nouum (putà in bonis Ecclesiæ spiritualibus:) His verbis, inquit Iesuita, *Sacellanus docet Reges Ethnicos non habere Primatum Ecclesiæ, sed eum accipere quando fiunt Christiani.* Aſt (inquã) hæc non tam Elienſis Epiſcopi verba ſũt, quàm Cardinalis Bellarmini. Sic enim Bellarminus de Ro. Pont. l. 5. c. 2. *Dominium non fundatur in gratia aut fide*, & ibidem cap. 3. *Christus non abstulit Regna ijs, quorum erant, nam Christus nõ venit destruere ea quæ benè se habebant, sed perficere.* Ergo quando Rex fit *Christianus, nõ perdit regnũ terrenum, quod iure obtinebat, sed acquirit Nouum ius.* Hoc eſt *Becano* hic vel iudice, vel Concluſore, vel interprete; *Primatum in Ecclesia.*

Habemus hîc confitentem reum. Cantemus triumphum. Nam ſi nullum hîc ſit de Primatu diſſidium Ieſuiticum; planè euicimus, *Christianos Principes habere Primatum in Ecclesia.* Ponit enim *Bellarminus* dogmaticè, *Reges Ethnicos, quum fiunt Christi-*

Christiani, acquirere Nouũ ius. Hoc est, inquit *Becanus, Primatũ Ecclesiæ.* Reges ergò Christiani Ecclesiæ Primatum habent. De Ethnicis Regibus, vt Et nicis, curent scilicet Pontificij.

Becanus.

13. Quæst. pag. 45. *An Rex possit cogere suos subditos ad Iuramentum Primatus?*

VTrumque Iuramentum, alterum Primatus, alterum fidelitatis integrè habetur in Apologia Regis: & in vtroque exigitur à subditis, vt palàm profiteantur & agnoscant, Regem Iacobum esse supremum gubernatorem, ac Dominum totius Angliæ, non solùm in rebus politicis ac temporalibus, sed etiam in Ecclesiasticis & spiritualibus: Et quòd nec Papa, nec quinis alius extraneus habeat vllam potestatem, aut Iurisdictionem in Ecclesia Anglicana. Porrò prius iuramentum introductum est ab Henrico Octauo, posterius à Iacobo excogitatum est. Est ergo quæstio, An omnes subditi, vtrumque iuramen-

tum teneantur in conſcientia præſtare, an potius cum Tho. Moro, & Epiſcopo Roffenſi, vitam amittere, quàm Primatum Regium aſtruere, & Pontificium abiurare? Ex Catholicis aliqui aliquantiſper hæſitarunt, quæ dubitatio à Paulo 5. & Bellarm. ſublata eſt, nam vterque negat, ſalua conſcientia id fieri poſſe; quia qui præſtaret iuramẽtũ à Rege propoſitum, abnegaret fidem Catholicam, nõ quidem generatim, ſed quoad aliquẽ eius articulum. Ego ſtatui duas alias rationes afferre contra iuramentum Primatus. Prima, quia apertè falſum, vt Caluiniſtæ, & Catholici; vel certè dubium, vt ſcriptores Angli, qui Regi adhærent, & in dubium vocant, An Rex. 1. Sit Primas Eccleſiæ? 2. Sit Supremum Caput Eccleſiæ? 3. Habeat primatum Eccleſiaſticum? 4. Habeat Iuriſdictionem Eccleſiaſticam? 5. Poſſit conuocare Synodos, & in ijs præſidere. 6. Poſſit conferre beneficia Eccleſiaſtica? 7. Poſſit creare & deponere Epiſcopos? 8. Sit Iudex controuerſiarum fidei? Articulatius dicam: Iuramentum Primatus Regij continet tot partes, quot ſunt, vel putantur eſſe varia officia, vt ſupra viſum eſt. Ex illis hanc vnam accipaimus.

mus. Ego A. B. in Conſcientia mea iuro me fidelem & obſequentem fore Regi, quotieſcunque propria authoritate creabit Epiſcopos, quos vult; & deponet ab officio quos vult. Tookerus ſi conſtans eſt, in hanc partem iuramenti non iurabit. Altera ratio: Iacobus Rex proteſtatur ſe non plus iuris vendicare ſibi in Eccleſiam, quàm olim fecerunt Reges in veteri teſtamento: Atqui Reges in veteri Teſtamento non poterant ſubditos ſuos cogere ad huiuſmodi iuramentum: Ego A. B. palam teſtor, & ex conſcientia mea declaro, quod Ieroboam eſt vnicus ſupremus gubernator huius regni Iſraelitici, tã in ſpiritualibus, quã in tẽporalibus: Et quod nullus extraneus habet, aut habere debet vllam Iuriſdictionem, poteſtatem, ſuperioritatem, præeminentiam vel authoritatem in hoc regno. Summus Pontifex, qui in altero tantum regno, ac potiſſimum in regno Iuda commoratus eſt, nihilominus præerat omnibus Leuitis ac ſacerdotibus, qui in vtroque regno Iuda & Iſrael verſabantur: Nec Ieroboam poterat legitime dicere ſuis Leuitis ac ſacerdotibus: Nolite obtemperare ſummo Pontifici, qui habitat in regno Iuda. Ab illius Iuriſdictione & poteſtate exempti

estis. Si ergo non potuit Ieroboam Leuitas & sacerdotes sui regni eximere à Iurisdictione extranei Pontificis; quo iure id facit Iacobus Rex Angliæ? Præsertim quùm asserat se, non plus iuris vendicare sibi in Ecclesiam, quam Reges veteris Testamenti sibi vendicarunt?

RESPONSIO.

VTrumque reuerâ Iuramentum *Primatus*, & *fidelitatis* integrè habetur in Apologia Regis: sed in vtroque, *viz.* In Iuramento fidelitatis (*Exigi à subditis, vt palam profiteantur & agnoscant, Regem Iacobum esse supremum Gubernatorem ac Dominum totius Angliæ, non solùm in rebus politicis & temporalibus, sed etiam in Ecclesiasticis & spiritualibus: Et quod nec Papa, nec quisquis alius extraneus habeat vllam potestatem aut Iurisdictionem in Ecclesia Anglicana*) impudentissimum est, ac planè Iesuiticum mendacium. Id quod Serenissimus R. *Iacobus* in Præf. Monitor. pag.

Vide Iuram. in fine huius lib. integrè descrip.

pag. 11. hisce suis verbis testatissimum facit: *Vt Certioribus Iudicijs perditam horum conuitiatorum* (cuiusmodi Papa *Paulus* 5. & *Bellarminus*, *Becanus* hic se produnt) *malitiam deprehendere possitis, qui hoc iuramentum excogitatum esse impudenter asserunt, ad improuidorum Pontificiorum Conscientias, in causis fidei infraudem illiciendas, rem omnem paucis expediam. Ea pars publicorum ordinum quæ inferiore curia continetur (inferiorem domum Parliamenti vocant) cùm primùm conciperetur Iurisiurandi formula, clausulam inseruerat, qua pontifici excommunicandi mei potestas adimebatur, sed hanc clausulam induci protinus ac deleri volui, vt vis alia huius iurisiurandi non esset, quam excommunicationem pontificis, iustam ac legitimam causam meis subditis ministrare non posse, vt quicquam apertis aut clandestinis consiliis in me, meumue Imperium moliantur: qui hanc iniustam Paparum vsurpationem, & violentiam secularem excommunicationis, (quæ spiritua-*

lis

lis censura est) fines longè latéque excedere arbitrer. Tanto studio, tantaque sollicitudine cauebam, ne quicquam hoc iureiurando contineretur, præter fidelitatis illius ciuilisque & temporalis obedientiæ professionem, quam ipsa Natura omnibus sub regno nascentibus præscribit: addita sponsione, qua opem & auxilium contra omnem vim debitæ fidei aduersam à subditis stipulabar. Visum itaque ère esse, vt huius iurisiurandi apologiam ederem, in qua suscipiebam probandum, nihil in eo contineri nisi quod ad obedientiam merè Ciuilem ac temporalem spectat, qualis summis Principibus à subditis debetur. Et in Apologia Regis pag. 53. Iuramentum Primatus excogitatum est ad discrimen faciendum inter Pontificios, & eos qui nobiscum de religione sentiunt: sed iuramentum fidelitatis institutum est, ad distinguendos pontificios, qui in rebus ciuilibus obedientiã & obsequium retinent, ab iis qui sulphureæ proditionis disciplinæ adhæserunt.

De Moro & Roffensi Episcopo,

sic

sic te docuit, sic Torto os occlusit reuerendiss: Episcopus Elienſis p. 360. *Dixerat Apologiæ author, potius Copulam carnalem, quàm Primatum ſpiritualem Roffenſi atque Moro Martyrij cauſam fuiſſe, non male id dixerat. Hic Tortus; Carnalem ergo Copulam etiam ſanctiſsimo Domini præcurſori fuiſſe Martyrij cauſam, propter improbatum à Baptiſtâ liberè matrimonium eius illegitimum. Quo verbo ipſe ſe cruentat. Quod enim illud (Torte) matrimoniũ? An nõ cũ fratris vxore? An nõ hæc Baptiſtæ vox vitâ ſuâ conſtitit; nõ licet tibi habere vxorẽ fratris tui? Quæ verò Mori cauſa aut Roffenſis? An non ex toto diametro cõtraria? Non licet tibi non habere vxorem fratris tui, licet verò habere, non licet dimittere. Vt ſi iniuſta fuerit præcurſoris mors, illorum ſit iuſtiſsima; ſi ille Martyr, hij aliud quid, quod dicere nolo. Ille enim, ne fratris vxorem retineret, mortuus eſt: hij, ne dimitteret. Ille, non licere hoc Herodi dixit: hij, Henrico & licere, & verò etiam vt ſecus faceret, non licere. Poterat ne*

Mar-

Martyrum suorum causæ, magis incommodare? Addam ego, O gloriosissimos scilicet Martyres; quibus fixum erat vitam potius amittere, quam Primatum Regium sacris in literis fundatum, & à laudatissimis Christianis Principibus, in vsu & praxi cum laude positum astruere: & Pontificium, quem Christus expresse prohibuit, quem Patres Ephesini Concilij vt τύφον κοσμικῆς ἐξουσίας, & Patres Carthaginenses vt *Typhum seculi*, tanto studio & diligentia fugiendum in Ecclesia monebant, abiurare.

De illo facinore Papæ Pauli quinti & Bellarmini, quod hic commemorat Iesuita, vtpote inhumanitatis, impietatis, & audaciæ plenissimo, hisce cum verbis docuit, politioris omne genus literaturæ, clarissimus ille vir, Isaacus Casaubonus in Epistola ad Frontonem Ducæum pag. 167. *De fidelitatis iuramento, cui occasionem præbuit pulueraria coniuratio, miror cur quærantur Angli Pontificij, quærerentur potius de Cardinale Bellarmino,*

mino, & nonnullis alijs, qui Paulum quintum initio renuentem (non temerè dico, ſed quia magnos auctores habeo) obdurare animum coegerunt; vt quantum hic eſt veſtrorum perire potius ſineret, quàm vt rem æquiſſimam & iuſtiſſimam illis permitteret. Quid iuſtius, quam vt Regi ſuo ſubditi fideles ſe futuros polliceantur? Poſt coniurationem præſertim adeo barbaram, adeo immani crudelitate inſignem. Rex in Republica, quod pater-familias in domo priuata. Putaſne igitur fore conſultum patri-familias alicui, ſi in familia ſua famulos habeat, de quorum fide erga ſe non ipſe conſtet? immò quorum fidem merito ſuſpectet? Nemo, opinor, non inſanus hoc dixerit. Quamobrem aut Rege Iacobo in regno ſuo non licet, quod priuato cuiuis in ſua domo; aut hæ de iuramento fidelitatis ſubditorũ ipſius querelæ inanes ſunt & iniuſtæ. Equidem multos partim in Gallia, partim in Anglia Pontificios conueni, multorum ſcripta legi; qui hoc iuſiurandum non ſolùm æquiſſimum, verumetiam ſanctiſſimum

eſſe

esse iudicant. Quare etiam multi è vestris Catholici, quidam etiam presbyteri, ipseque adeò Archipresbyter Blackuellus, sine vllo conscientiæ scrupulo præstiterunt iam illud non inuiti, & alijs vt simile facerent, (scriptis etiam suis doctis sane & Orthodoxis, in Papam verò & Iesuitas, iustè aculeatis in eum finem editis, cuiusmodi nuper extiterunt Guilielmus Warmingtonus, & Richardus Sheldonus Sacerdotes) auctores fuerunt. Sunt tamen nonnulli apud quos plus bullæ Pontificis & Bellarmini Epistolæ valet, quàm lex Dei, ius naturæ & omnium gentium, aut etiam exempla sapientiorum. In hos si lex vim suam exerat, quis locus est querelæ? Et vos qui persecutionem Catholicorum hoc vocatis, quo iure, quo vetustatis exemplo hoc faciatis, ne ipsi quidem dicere possitis. Nunquam enim factum, nunquam auditum, vt populus aliquis Christianus persecutionem pati se diceret, si legitimo Principi suo, fidelitatis iusiurandum præstare iuberetur: at contra legimus in Conciliis

lijs anathema pronuntiari in eos, qui sacramentum fidei suæ temerassent, quod pro patriæ statu vel conseruatione Regiæ salutis essent polliciti; eosque ab Ecclesia Catholica effici extraneos declarat Concilium (vt scis) Toletanum quartum.

His operæprecium est, vt satisfaciat Iesuita, interim etiam vt intelligat, fidem illam Catholicam, omnibus diris esse deuouendam, vt inhumanam, impiam, sacrilegam, Antichristianam ac planè Diabolicam, cuius hic vnus articulus est, teste Becano: *Populus Christianus legitimo Principi suo fidelitatis iusiurandum præstare non debet* (viz. vt patuit) eam quam lex Dei, ius naturæ, Conciliorum Canones, vt æquissimam sanctissimāque præscribunt, vel sic more Becanico: *Populum Christianum legitimo principi suo eius fidelitatis iusiurandum præstare, est fidem Catholicam abnegare.*

Hanc rationem quæ sanè optima est, inquit Iesuita, *admittunt Catholici*, quia

quin verius, hanc rationem, quæ ſane peſſima eſt, admittunt Catholici illi verè & propriè Antichriſtiani: non idem nos proteſtantes, ſoli iam verè & propriè Catholici Orthodoxi.

Ego, inquit Ieſuita, in *gratiam Catholicorum in Anglia, ſtatui duas alias adferre, præſertim contra iuramentum Primatus, quæ ne ab aduerſariis quidem repudiari poterunt.* Quin ſic potiùs: Ego in perniciem Catholicorum Papicolarum ſtatui alias duas adferre, quæ ab aduerſarijs Proteſtantibus iuſtiſſimè reſpui poſſint ac repudiari. An vero hic ſui oblitus eſt Martinus? Paulo-Papana certè & Bellarminiana illa peſſima ratio, contra iuramentum fidelitatis, quæ ſola in controuerſia fuit, expreſſe allata eſt: at Martinus contra iuramentum Primatus, ſic ergo adhuc emendatius: Ego ſtatui in perniciem Cacolicorum, qui in Anglia ſunt, duas (ſed non *alias*) adferre. Age. Bellas iam illas duas rationes audiamus. Prima ratio

Becanus,

Becan. *vel apertè falsum vel dubium est, quod Rex sit Primas* vel supremum caput *Ecclesiæ, cui non solum in temporalibus, sed etiam in Ecclesiasticis parendum sit, vt illi qui habet.* 1. *Primatum Ecclesiasticum.* 2. *Iurisdictionem Ecclesiasticam, quique potest.* 1. *Propria authoritate conuocare Synodos.* 2. *Creare & deponere Episcopos. Nam vel posse conferre beneficia*, quod cuiuis Plebeio: *vel Iudicem esse controuersiarum fidei*, quod mortalium nemini competit: ad Primatum non spectat Ecclesiasticum.

Ergo, Illud sub iuramento affirmari non debet.

Huius rationis antecedens apertè falsum est; Protestantibus siquidem in Anglia vniuersis, hoc manifestè verum, nulli dubium est: Quod Rex Angliæ sit vnicus supremus Gubernator, vel (quod idem illis est) Ecclesiæ Anglicanæ Primas & Supremum caput, cui non solum in temporalibus, sed etiam in Ecclesiasticis parendum sit; vt illi, qui habet supre-

mam Gubernationem ſupra omnes perſonas Eccleſiaſticas, & in rebus omnibus Eccleſiaſticis : vel (quod idem illis eſt) qui habet Primatum Eccleſiaſticum,& Iuriſdictionem Eccleſiaſticam ; proinde qui poteſt Synodos cõuocare; Epiſcopos autẽcreare & deponere. Hæc omnes vnanimi conſenſu,loquuntur, iurant, ſentiunt. Sic Prima ratio nullo negotio profligata eſt. Sed articulatius Ieſuita dicit: *Iuramentum Primatus Regii continere tot partes, quot putantur eſſe officia Primatus Regii.* Ex illis hanc vnam ſeorſim accipit ſic : *Ego A. B. in conſcientia mea iuro me fidelem & obſequentem fore Regi, quotieſcunque propria authoritate, quos vult, deponet ab officio.* Reſp. *Quos vult?* Immo verò, vox illa Pontificis eſt Antichriſti: *Stat pro ratione voluntas.* Sed Principes Chriſtiani ſic: *Id poſſumus, quod iure poſſumus.* Sic igitur ſubditus Chriſtianus, nominatim verò Dr. Tookerus : Ego *A. B.* in conſcientia mea iuro, me fidelem & obſequentem fore Regi, quoti-

Extra. de tran. Epiſc. Quamo in gloſſa.

quotieſcunque propria authoritate, Epiſcopos iuſta de cauſa, vt Solomon Abiatharem, ab officio deponet. Aſſobrij hominis cogitationem ſuſcipiat Martinus, & dicat: An iuramentum Primatus tot partes contineat, quot putantur eſſe officia Primatus. *Putantur?* An a quouis plebeio, aut ſcriptore vel Anglo, vel Romano? vah quàm putidè. Imò verò Iuramentum primatus Regij, tot partes duntaxat continet, quot è ſacris literis conſtat eſſe officia primatus Regij, quæ olim fecerũt, (& cũ laude) Reges Iſraelitici fecerũt. Sic enim Sereniſſimus Rex Iacobus, illis ipſis verbis teſte hic Becano. Quæ quidem officia admodum articulatè & accuratè, a Rege in Apol. pag. 127. & 128. A R. verò Elienſi Epiſcopo in Tort. Tort. pag. 377. & 378. e ſcripturis deprompta atque deſcripta ſunt. Dicat etiam Ieſuita, An iuramentum Primatus Pontificij contineat tot partes, quot à Ieſuitis, Canoniſtis, Papæ paraſitis, ab ipſis denique Papis putantur eſſe officia Primatus Pontificij? Tum Ro-

manus Pontifex [a] erit vt *Primas vniuersalis Episcopus* de necessitate salutis. [b] *Ordinarius omnium hominum.* [c] *Cuius diœcesis vniuersus est mundus.* [d] *Qui inuestitus de Papatu, præsit vrbi & Orbi.* [e] *Qui occupet omnia iura inferiorum Ecclesiarum.* [f] *De cuius plenitudine Episcopi omnes accipiunt.* [g] *Qui nec à Regibus, nec à toto clero, nec ab vniuerso populo potest iudicari.* [h] *Qui in nullo casu, propter quodcunque crimen potest deponi, nec a Concilio, nec a tota Ecclesia, nec a toto mundo.* [i] *Cuius omne factum ex se malum, vt furtum, Adulterium &c. interpretari debemus, quod diuino instinctu fiat.* Sic vt [k] *Sacrilegii instar esset, disputare de facto Papæ; qui solutus est omni lege humana. Cuius facta excusantur, vt homicidia Samsonis, vt furta Hebræorum, vt adulterium Iacobi.* [l] *Quem accusare, est peccare in Spiritum sanctũ, quod nunquã remittetur, neq; in hoc sæculo, neque in futuro, vtpote solutum omni lege humana 9. Q. 3. cuncta. Tunc Pontifex Romanus, vt non* [m] *mere homo, sed Christus:* [n] *Sponsus totius Ecclesiæ.*

a In Concil. Constantiensi. Paralipom. Vrspergens.
b Extra de Appel. vt debitus glossa.
c Harding in Iewel Defens. par. 5. cap. 6. diuis. 4.
d Ceremoniar l. b. 1.
e Francis. Zaberella.
f Durand. li 2. de ordinibus & ministris.
g Hard. Iew. p. 5. c. 6. D. 7.
h Pet. de Palude de potest. Papæ art. 4.
i Joh. de Pari. de potest. Regia & Papali.
k Dist. 40. non nos glossa.
l Concil. Tom 1. in purgatione Sixti.
m Decret. in Sexto de Elect & elect. fundamenta in glossa Et Clem. in proœmio in glossa.

cleſiæ. Sic vt Chriſtus & Papa faciant vnum conſiſtorium *Panormitan* de Electione cap. licet Abbas. [o] *Eccleſia tota.* [p] *Vice deus.* [q] *Dominus Deus noſter Papa.* [r] *Deus.* [ſ] *Pluſquam Deus.* [t] *Diuinam habens poteſtatem. Cui omnis poteſtas data eſt in cœlis & in terris.* [u] *Qui, excepto peccato, poteſt quicquid Deus ipſe poteſt, erit ſupra* [x] *Concilia generalia:* [y] *Purgatorium:* [z] *Totam Eccleſiam:* [a] *Scripturam:* [b] *Angelos:* [c] *Omnes poteſtates:* [d] *Omnia.* Sic vt diſpenſare poſſit contra [e] *Ius naturæ:* [f] *Ius Diuinum:* [g] *Nouum Teſtamentum.* Et de [h] *Omnibus præceptis veteris & noui Teſtamenti.* Denique vt [i] *Poſſit facere quod Deus poteſt.* Articulatius dicam, erit. [k] *Dominus in temporalibus in vniuerſo mundo directè & indirecte.* [l] *Rex Regum, & Dominus Dominantium*

n *Hard. apud Iew. Defenſ. pa. 2. cap. 2. Diu 1.*
o *Heruæus de poteſtate Papæ His præmiſſis. q 23.*
p *Felin. extr. de conſtit. ſtatuta canon.*
q *Extra Io 22. cum inter gloſſ.*
r *Diſt. 96 Satis Euident.*
ſ *Franſ. Zabar.*
t *Hard Iew. Defenſ par. 5. cap 6. Diuiſ. 6.*
u *Extra. de tranſl Epiſ. Quanto Hoſtienſis.*
x *Paſchalis Papa. De Electi. & electi. poteſt. cap. Significa y Angel. Pariſ. Hard Iew. p. 5. c. 6. Diuiſ. 14*

z *Petr. de Pal. de poteſt. Papæ art 4.* a *Nic. Cuſan.* b *Extr de conſt. ſtat. Canon. Felinus.* c *Concil. Later. ſub Leone ſeſſ.* d *De Maior. & obed. vnam ſanctam.* e *15. Q. 6. Auctoritate in gloſſa.* f *16. Q. 1. Quicunque in gloſſa.* g *Abbas Panor. vt extra. de diuortijs.* h *Summa Angel. in dictione Papa.* i *Extra. de tranſlatione Epiſcopi. Quanto. Hoſtienſis.* k *Ioh. de Pariſijs de Poteſt. Rege. & Pap. c. 5. Auentinus l. 6.* l *Extra. de Maior. & obed. Sol tæ. Antonius de Roſellis.*

nantium. [m] *Supra Omnes Imperatores vt vasallos suos.* [n] *Habens de proprio vtrumque gladium.* [o] *Constitutus super gentes & regna, vt destruat, euellat, ædificet, plantet.* [p] *A quo solo omnes Imperatores sua habent imperia.* [q] *In cuius potestate est, vt det illa quibus vult, & quibus vult detrahat.* [r] *Qui regum ceruices infra pedes suos positas calcaret.* Denique, [s] *Qui Imperatoribus coronas suas pedibus imponeret, pedibus decuteret*; vtpote. [t] *Septuagies septies maior maximis Regibus.* Adhuc articulatius dicam; erit. [u] *Omnium omninò controuersiarum tam absolutus iudex, vt si dixerit tibi, quod dextra sit sinistra, vel quod sinistra sit dextra, talis sententia tenenda est,* vel vt Bellarminus. [x] *Si Papa præciperet vitium, aut prohiberet virtutem, Ecclesia teneretur credere virtutem esse malam, & vitium bonum.* Ratio quia, [y] *Plenitudo potestatis Papæ superat omnem legem positiuam & sufficit* [z] *quod in Papa sit pro ratione voluntas:* * qua de iniustitia potest facere iustitiam. Hinc pulchrè Papam,

m Epistola Nicolai Papæ. inter decreta Adriani: Papæ. D. 98. Si Imperin gloss. Extra. de foro competenti. cap. Licet.

n De Maior. & obed. vnam sanctam.

o Auentinus in Adriano 4. An. 1154

p Hard. Iew. Def. Part. 5. c. 6. D. 8.

q Auentinus in Adriano Papa.

r Carion. de Pa. Alexand. 3.

s Cælestinus Papa. Vide Ranulphum, Rogerum Cestrensem, & Houenden.

t De Maior. & obed. Solitæ.

v Lyra in Deut. c. 17.

x De summo Pontifice li. 4. c 5. § Vltimo.

y Panor. Extra. de Constit. c. 1.

z Extr. de translatio. Episcopi Quanto. Extra. de Transl. Episc. Quanto in glossa. * Hostiensis vt

vt Antichriſtum, *Philelphus Decad. 6. Hecaſt. 9.* hoc carmine depinxit:

Non Scyta, non Turcus, non qui terrore Damaſcum,
Ægyptumque tenet; ſed maximus ille Sacerdos,
E medio templi noſtrum emerſurus in axem,
Antichriſtus erit, qui ſe canat ore colendum,
Pro Chriſto, cuius referat nomenque, vicemque.

Infinitus eſſe poſſem in enumerandis illis officijs, quæ putantur eſſe Primatus Pontificij. Ex illis hanc vnam ſeorſim capiamus. *Ego A.B. in conſcientia mea iuro, me fidelem & obſequẽtem fore Pontifici Romano quotieſcunque propria authoritate ſua in temporalibus directè, creabit Imperatores quos vult, & deponet ab imperio quos vult.* Si hæc pars exigatur ab omnibus etiam Ieſuitis, quid futurum putamus? An omnes etiam illi, qui Papæ adhæ-

rent, iuraturi sunt? faciant qui volunt, scilicet Baronius Cardinalis, Triumphus, Carerius, Canonistæ fere omnes, alijque plurimi maximi nominis Pontificij; Tamen Bellarminus certè, & certè Becanus, *Si vir constans est*, facturus non est. Sic enim Bellarminus: *Papa non habet vllam merè temporalem Iurisdictionem directè iure diuino.* Sic Becanus: *Ac primo non disceptamus de primatu in temporalibus. Illum quisque Rex in suo regno legitimè habeat.*

Ro. Pöt. l. 5 c. 4

Resut. Regis Apol. & præf. monit. pag. 18.

Quid? An proinde certum firmumque Bellarmino & Becano est, *vitam potius amittere* cum glorioſissimis in hoc regno plurimis Martyribus, quam iuramento suo Primatum Pōtificium astruere, & Regium abiurare? *Quòd enim Papa sit Dominus totius mundi in temporalibus directé*: putatur esse Primarium officium Primatus Pontificij. Ast hoc quidem in conscientia Bellarmini atque Becani apertè falsum est. An partim *ad externam pacem & politiam conseruandam*

dam, quæ pluris ab illis, quàm fides & religio æstimatur; partim verò, vt eorum vnus, Papa; alter Cardinalis, fortè fortuna in posterum fiat. Primatum Pontificium cum omnibus suis partibus, & (*quæ putantur esse*) *officijs*, contra conscientiam suam sub iuramento firmabunt? Ideoque *Impij Politici, & nostri temporis hæretici potius* (vt eos etiam insigniuit Carerius) *quam Christiani appellandi sunt*. De quibus verè dicat Paulus 5. *se plus fidei in efferis latronibus*, quam in isto hominum (*viz.* Iesuitarum, qui æquiuocandi artem, & docent & exercent) genere reperisse. Sic de prima ratione satis multa, Becano fortè ac Bellarmino nimis multa.

Secunda ratio Becani: *Rex Iacobus profitetur se non plus iuris vendicare sibi in Eccl'esiam, quàm olim fecerunt Reges in veteri testamento, quàm Reges veteris testamenti sibi vendicarunt*. At Reges in veteri testamento non poterant subditos suos cogere ad

ad huiuſmodi Iuramentum: *Ego A. B. palam proteſtor &c. quod Ieroboam eſt vnicus ſupremus gubernator huius regni Iſraelitici tam in ſpiritualibus quã in temporalibus: & quod nullus extraneus habet, aut habere debet vllam Iuriſdictionem in hoc regno. Duo erant regna diſtincta a Iuda & Iſrael. Duo Reges, vterque habebat ſuos ſucceſſores. Sacerdotes & Leuitæ erant in vtroque regno, quibus omibus præerat ſummus Sacerdos qui in Iuda potiſſimum verſabatur. Nec Ieroboam legitime dicere poterat, nolite obtemperare illi ſummo Pontifici, ab illius Iuriſdictione exempti eſtis.*

Reſpondeo; primò, Ecquis tantam ferat, vel in Theologo inſcitiam, vel in Ieſuita malitiam? Quaſi Sereniſſimus Rex & Chriſtianiſſimus Iacobus aut crederet, aut ſcriberet, aut ſomniaret, vel illa omnia, quæ impij Reges Iſraelis (imprimis vero Ieroboam) in veteri teſtamento, peſſimè fecerunt in rebus Eccleſiaſticis: vel omne illud ius in Eccleſiam, quod impij illi Reges, (impri-

(imprimis vero Ieroboam) vendicabant, ad Primatum Regium pertinere? (De Ieroboamo in sacro Codice sic scriptum est: *Rex fecit duos vitulos aureos, dixitque ad Israelitas, satis iam ascendistis Ierosolyma, en dij tui qui te ascendere fecerunt de terra Ægypti. Posuit autem vnum in Bethel, & alterum in Dan, fecit etiam domum excelsorum, & fecit sacerdotes de face populi, qui non fuerunt de filijs Leui. Instituit quoque solennitatem in mense 8. die 15. iuxta solemnitatem quæ est in Iuda, & sacrificabat super ara. Sic fecit in Bethel, vt sacrificaret vitulis quos fecerat; Constituitque in Bethel sacerdotes excelsorum, quæ fecerat.* Et cap. 13. *Ob hæc à Deo per prophetam reprehensus Ieroboam, non recessit à via sua mala, sed conuersus fecit sacerdotes excelsorum de face plebis, & qui ei placebat, illum consecrabat, vt fieret sacerdos excelsorum.* Et 2. Paralip cap. 11. *Sacerdotes & Leuitæ, qui erant in vniuerso Israele, collegerunt se ad Roboam, ex omni termi-* 1. Reg. 12.

termino eorum. Relinquebant enim Leuitæ suburbanos suos, agros, atque possessiones suas, concesserunt que ad Iudæ & Ierusalem, abiecerat enim eos Ieroboam ne sacerdotio fungerentur coram Domino.) Quin sic Serenissimus Rex, sic eius interpres R. Episc. Eliensis Tort. Tort. p. 381. *Quodcunque in rebus religionis Reges Israel fecerunt, nec sine laude fecerunt, id vt ei* R. Iacobo *faciendi ius sit ac potestas.* Sit hæc Maior propositio; quæ est etiam Becanica, in Refutat. Regis Apol. & Præfat. Monitor. cap. 8. p. 124. §. 1.

Sed Reges Israel, nec sine laude, in rebus religionis authoritate Regia: 1. *Leges tulerunt.* 2. *Delegarunt qui de lege sic lata iudicent.* 3. *Subditos suos* (omnes Clericos & laicos) *iuramento obstrinxerunt.* 4. *Inviolatores illarum legum animaduerterunt.* 5. *Conuentus indixerunt.* 6. *Omnibus omniũ ordinũ ius dixerũt, vt Capita Tribus Leui non minus quam caterarum, nec minus Clericorum quam Laicorum*

Reges

Reges. 7. Abiathar si quis superbierit, decreto suo compescuerunt, etiam Abiathar ipsum, si ita meritus, Pontificatu abdicarunt. 8. Peregrinum cultum abolerunt; viz. *in Excelsis diruendis, vitulo aureo cõminuendo, Serpente æneo confringendo &c.* (Denique *de rebus adiaphoris, quæ ad decorem domus Dei spectant, statuerunt: Et quæ materia schismatis esse assolent, futiles & inutiles quæstiones, authoritate sua compescuerunt.*) Vt sacræ literæ expressè testantur: vide Tort. Torti. pag. 381, 382.

Ergo Regi Iacobo eadem faciendi ius est ac potestas: proinde subditos suos huiusmodi iuramento obstringēdi: *Ego A. B. palam testor & ex conscientia mea declaro, quod Iacobus est vnicus supremus gubernator huius regni, & huius Ecclesiæ Anglicanæ:* (vt Dauid & Salomon totius Ecclesiæ Israeliticæ; Asa, Ezechias, Iosias totius Ecclesiæ Iudaicæ) *Et quod nullus Extraneus habet, aut habere debet vllam Iurisdictionem, potestatem &c. in hoc regno*

regno (vt nec in Iudaico: *& sic legitimè dicendi sacerdotibus suis: Nolite obtemperare summo Pontifici qui habitat in regno externo, mihi soli, vt supremo huius Ecclesiæ Gubernatori obedite. Ab illius Iurisdictione & Potestate exempti estis.* Sic legitimè Leuitis ac Sacerdotibus suis, *Dauid, Salomon, Asa, Ezechias, Iosias*, dicere potuerunt. Sic ergo & Sereniſſimus *Iacobus* ſuis.

Hæc expreſſè è Scripturis hauſta, hæc ſolidè concluſa ſunt. At Syllogiſmus *Becanicus* quatuor pedibus incedens claudicat. Rex loquitur de Regibus pijs non ſchiſmaticis, vel totius Iſraelis, vel ſolius Iudæ Regibus, & eorum Regimine Eccleſiaſtico, veluti exemplari Primatu Regum Chriſtianorum, in ſcripturis commendato: Martinus ſophiſta, id eſt, Ieſuita aſſumit Reges impios & ſchiſmaticos, Iſraelis aulſi, in quo ne vnus quidē Rex res Eccleſiaſticas cum laude tractaſſe in ſcripturis legitur. Animaduertat hic lector prudens & Candidus, Calliditatem Ieſuiticam

ſuiticam verè ſerpentinam Becani, qui vt Catholicis imponat, pijs omnibus, ſcilicet in Iuda Regibus, præteritis; vnicum Ieroboam introducit, Regem ſchiſmaticum, caput iniquitatis & Anteſignanum, his in ſacro codice, peſſimæ ignominiæ notis inuſtum: 1. Reg. 15. *Baaſa percuſsit omnem domum Ieroboam, non demiſit, ne vnam quidem animam quam non deleret, propter peccata Ieroboam quæ peccauerat, & quibus peccare fecerat Iſrael.* Et 2. Paralip. c. 13. *Non ignoratis quod Dominus Deus Iſrael dederit regnum Danid ſuper Iſrael in ſempiternum ipſi & filijs eius in pactum ſalis, & ſurrexit Ieroboã filius Nabat ſeruus Solomonis, & rebellauit contra dominum ſuum &c.* En Ieroboam impijſſimum, Rebellē, Schiſmaticum. Aſſumat iam Ieſuita (quia in ſchiſmate, & in ſchiſmaticis verſatur) tres illos antipapas ſub Conſtantienſi Concilio, aut ex tribus illis vnum aliquem, & dicat; 1. Quis tunc erat *Primas Eccleſiæ?* 2. Quis

Supre-

Supremum Caput Eccleſiæ. 3. Quis habuit Primatum Eccleſiaſticum? aut *4. Quis Supremam Poteſtatem & Iuriſdictionem Eccleſiaſticam. 5. Quis potuit propria authoritate generalia Concilia conuocare, & in eis præſidere? 6. Quis beneficium illud pinguiſsimum, ſcilicet Papatũ, conferre potuit? 7. Quis Papas potuit creare, & antipapas deponere? 8. Quis tunc erat Iudex omnium controuerſiarum ſupremus, imprimis verò Papalium?* Preſsiùs adhuc vrgebo Ieſuitam: Quid ſi Catholica Eccleſia Gallicana ſibi Patriarcham conſtitueret, & à Romana ſede deficeret; quia Ro: iam Pontifex Paulus 5. ius in Regis Galliæ temporalia arrogat. Quid ſi, non ſolum Reges Gallici, verumetiam Reges omnes, aut ſaltem multo plures, Proteſtãtes, & ſic dicti Catholici, quia Papa ius illud ſæculare in eos vendicat, ſcilicet in Cauſa illa communi, quæ Coronas ſuas vel maximè ſpectat, iunctis viribus, & vnanimi conſenſu, alium Patriarcham cõſtabilirent, qui

qui πάσης ἐξουσίας in regnis ſuis haberet, cum illis quæ habuit antiquus Romanus Patriarcha in ditione quondam ſua; (quod quidem ad *externam pacem & politiam Eccleſiaſticam* Chriſtiani orbis ſtabiliendam & conſeruandam ſũmopere expetendum & verò etiam generali Concilio habito ſperandum eſt. (vt olim ab Imperatore factum, qui lege ſua, Epiſcopi Conſtantinopolitani ius, poteſtatem & prærogatiuã) Põtificis Ro: per omnia exæquabat, quam *legem euertere nunquam potuit Papa omnia conatus, Imperatoris Patrocinio tutam*; (inquit Liberatus cap. 13.) An non Reges illi legitimè dicant Sacerdotibus ſuis: *Nolite obtemperare Pontifici Romano. Huic ſoli Patriarchæ obedite ab illius Ro: iuriſdictione & poteſtate exempti eſtis?* Si dubitet Ieſuita, id eum docebit Gerſonus ille, cætera Catholicæ fidei tam pius rigiduſque propugnator, in libro illo, quem præclarè ſcripſit, *De Auferibilitate Papæ ab Eccleſia.* Id etiam eum docebit Iohan-

Cod. de ſac. ſanct. Eccleſ. l. omni Innouatione.

Præf. Monit. pag 33

nes de Parisijs, de Potestate Reg: & Papali cap. 13. sic: *Bonifacius obtinuit à Phoca, vt Ecclesia Romana esset Caput omnium Ecclesiarum. Ex quo posset consimile sumi argumentum, quod ad imperatorem pertineat Primatum Ecclesiæ transferre, & de Ecclesijs Ordinare.* Iuxta illud Concilij Chalcedonensis cap. 28. vel apud Summã Carranzæ sess. 16. *Sedi veteris Romæ Patres merito detulerunt Primatũ, quòd illa Ciuitas alijs imperaret.* & cap. 12. *Quascunque Ciuitates per literas Regias metropolitico nomine honorarunt.*

Particulatim iã respondeo obiectis hîc Becanicis. 1. In vtroque Regno nempe Iuda & Israel, non erant Leuitæ & Sacerdotes; vt expressis Scripturæ verbis antea patuit. 2. Ieroboam Sacerdotibus suis, qui non de tribu Leui, sed de fæce populi, ab eo facti & consecrati sunt, verè dicere potuit. *A Pontificis qui habitat in regno Iuda, Iurisdictione & potestate exempti estis.* 3 Si Iacobus Rex sæpe *Protestatur, Primatum suum iisdem*

dem

dem terminis definiri, quibus olim in veteri testamento piorum regũ Primatus definiebatur; Sequitur, primo Primatũ Ecclesiæ Regium, & pium & certum esse; nempe in sacris literis fundatum: non *falsum*, (vt falsarius hic Martinus) *non dubium, non tot continere partes, quot putantur esse officia Primatus Regij*, ab Hainrico, Thomsonio, Burhillo, Tookero, aut quoquam alio. Secundo Regem Iacobum, *iure & legitimè posse cogere suos subditos ad iuramentum Primatus*. Tertiò Papam Paulum 5. Bellarminum, & Becanum impie, & inhumanè Iacobo Regi obstitisse, quærentes auertere subditos ipsius à fidelitate sua, & ab vtroque iuramento pio atque iusto, Regi suo præstando. Consimilem plane in modum eum, quo *obsistebat olim Apostolis Elymas Magus, quærens auertere proconsulem à fide*. Act. 13. v. 8.

Quæstionibus Becani sic factis satis superque: earumque disputatis nebulis, tendiculis paretactis ac profli-

gatis. Et ſic coagmentato ac firmato, de Regio Primatu, vnitatis & Concordiæ vinculo, abſque vllo omnino, ea de re, diſsidio Anglicano: reſtat Ieſuitæ *Epilogus* pag. 54. qui pro nobis in Pontificios, veriſsimè, iuſtiſſimè, & appoſitiſſime, mutatis duntaxat terminis, ſic retortus ſit.

Epilogus.

I Quæ hactenus dicta ſunt, ad tria capita poſſunt reuocari. Primum eſt, Primatum Regis in Eccleſia rem eſſe antiquam ab antiquo dierum Chriſto primum introductã, & olim ſub veteri teſtamento à laudatiſſimis Regibus vſurpatam. Primatum verò Pontificium, ante infamem illum Phocam Imperatorem, rem nouam, & à nullo vnquã pio & Orthodoxo Epiſcopo Romano vſurpatam. Alterum, tot eſſe diſſenſiones Pontificiorum circa hunc Primatum Papæ, vt quid ſit, & quam vim habeat, certò inter ipſos conſtare non poſſit.

Ter-

Tertium, iuramentum huius Primatus, nec exigi à Papa, nec a Pontificijs præſtari poſſe: poſſe autem, & exigi à Rege, & a ſubditis præſtari Iuramentum Primatus Regij. 2

Hinc aliæ tres quæſtiones, quæ circa ſubditos moueri poterunt, facilè diſſoluentur. Sunt autem tria ſubditorum genera, qui in regionibus illis, in quibus dominatur papatus, verſantur. 1. *Baroniani*, qui & agnoſcunt, & iurant Primatum Papalem (nempe directum; nam Primatus indirectus, eſt planè & directè ridiculus.) 2 *Bellarminiani*, ſeu Papa-Puritani, qui non quidem agnoſcunt, ſed tamen iurant. 3. Proteſtantes Orthodoxi, qui nec agnoſcunt nec iurant.

Eſt ergo prima Quæſtio, quid dicẽdum ſit de *Baronianis?* Reſpondeo, Illi ſtultè & inconſideratè agunt. Ratio eſt, quia ſtultum ac temerarium eſt, rem dubiam & incertam, V. G. Primatum Papalem, vt patet ex illorum 3

lorum diſſidijs ſupra explicatis, iuramento confirmate.

4 Secunda, Quæſt. quid dicendum de *Bellarminianis?* Reſponde, ſunt periuri & politici. Ratio eſt, quia aliud ſentiunt, aliud iuramento affirmant. Sentiunt ea in re cum proteſtantibus Orthodoxis, & tamen cum *Barcnianis*, *Papa*, *vt totius mundi domino in temporalibus* (Id enim Papa *Paulus* Quintus, iam ſibi vindicat) ſub iuramento fidelitatem promittunt. Hoc autem faciunt ad externam pacem & politiam conſeruandam, quæ pluris ab illis quàm fides & religio æſtimatur; ideoque [a] *Impij Politici huius temporis & hæretici*; (cuius infamiæ haud minimæ nota, Cererius publicis ſuis ſcriptis, publicè approbatis, eos inuſſit) non Chriſtiani appellandi ſunt: De quibus verè dicat Papa *Paulus* Quintus, ſe plus fidei in efferis latronibus, quam in iſto hominum æquinoctium

a *Alexander Carerius De poteſtate Pontificis in præmio.*

tium genere reperiſſe.

Tertia, Quæſt. quid dicendum de Proteſtantibus verè Catholicis? Reſpondeo: ſunt homines recti, qui coram Deo ambulant in veritate; ſimplices, qui quod corde ſentiunt, ore profitentur: cordati, qui cum Eleazaro mori malint, quam vel externo ſigno in rem illicitam conſentire: ſimiles Apoſtolis, qui Deo magis, quam hominibus obedire ſatagunt: ſimiles Martyribus Eccleſiæ primitiuæ, qui libere coram perſecutoribus profitentur, ſe eſſe, quod ſunt. *videlicet*, multum abſimiles Ieſuitis, [b] *Qui huc atque illuc, laicorum, plerumque etiam generoſorum ſpecie atque habitu diuagantes, Conuiuijs, Comeſſationibus, interdum & ſcholis celeberrimis (nam latitant in Cantabrigia & Oxonio, aliqui huius farinæ homunciones)* ad inſtabiles animas & nouitatis auidas peruertendas; *ſedulò ſeſe immiſcent.* 5

[b] Ib. Euerd. Britanno-Romanus pag. 7.

6 At miseri sunt, inquies, Si enim re-
† Apoc. 13. 17. culent iuramentum, V. G. τὸ χάραγμα τοῦ ὀνόματος; non modò carceres, tormenta supplicia, sed ipsam etiam mortem subire coguntur. Sanè, non ideo miseri, sed beati. Sic enim docuit nos Christus in Euangelio Matth. 5. 10. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* At durum est pati. Quomodo durum, quod cum gaudio & delectatione sit? Audi, quid de Apostolis dictum sit Act. 5. 41. *Ibant gaudentes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Audi quid Apostolus de se ipso dicat 2. Cor. 4. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

7 Vnde hoc gaudium? Ex duplici dono Spiritus sancti, spe & charitate, spes futuræ gloriæ facit nos lætos & erectos in aduersitatibus, Rom. 8. 18. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabi-*

tur

tur in nobis. Aſt Papiſtæ ſic: Sunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, Martyribus ipſis ſunt meritorię, ſunt & alijs ſupererogatoriæ, iuxta illud,

Tu per Thomæ ſanguinem, quem
pro te impendit,
Fac nos Chriſte ſcandere quo
Thomas aſcendit.

Et Hebræos 10.34. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.* Aſt de Ieſuitis ſic verè, ſic e regione. Copiam bonorum aliorum, cum ingenti eorũ malo, Veneto teſte locupletiſſimo accepiſtis: cognoſcentes vos hic mercedem veſtram reportare, meliorem poſthac & manentem ſubſtantiã non expectare.

Nec minor vis charitatis, Rom.8. 35. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames?* 8

mes? &c. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Domino nostro. Aſt Ieſuitę, piam hanc *Certitudinem*, impiam eſſe volunt præſumptionē. Hinc Bellarminus flagitioſum illum librū ſuum ſcripſit & inſigniuit, *De incertitudine iuſtitiæ.*

Bel. l. 3. de Iuſtificatione.

Accedunt exempla Chriſti & aliorum ſanctorum, quæ etiam magnam vim habent ad excitandos & corroborandos Catholicorum animos, vt libenter patiantur in hac vita carceres, vincula, tormenta, mortem, 1. Pet. 2. 20. *Si benè facientes, patienter ſuſtinetis; hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cùm malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non*

non cõminabatur : tradebat autem iudicanti se iustè. Ast de Iesuitis ἀντιφατικῶς, & verissimè sic: malè facientes assiduè impatienter sustinent (Teste Veneto) ὧν τὴν δόξαν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν. In hoc enim vocati sunt, vt subditos infideles Regibus suis, rebelles, proditores reddant; ipsos autem Reges, vel sica, vel veneno tollant: quia Antichristus sic illis exemplo multiplici & vario præiuit, vt ipsi sequãtur vestigia eius: qui nulla non atrocia facinora perpetrant, quorum in ore nunquàm non inuentus est pestilentissimus ille, humano generi maximéque inuisus *æquiuocandi dolus*: qui cum non maledicuntur, maledicũt καὶ τὰς δόξας βλασφημοῦσι: cum non patiuntur, comminantur: Regem suum, stirpemque Regiam, Proceres, ordines omnes, totumque populum pulueri pyrio tradituri, *iustè scilicet Iudicanti*, nimirum *Claudius Aquauiua præpositus ille generalis*, [a] *miraculosè constitutus, Iesuitas docuit tradere se iudicanti iustè cum iactarit plures se, breuiorique*

Iud. v. 8.

[a] *Gretzerus de laude Iesuitismi.*

orique spacio, milites in castra cogere posse, quàm quilibet Rex Christianus: Hinc erat, quod tempore interdictionis Venetæ, cum iam vndique certum Papæ immineret periculum, spospondit idem Pontifici, quadraginta hominum millia in subsidium, sed ea lege vt quotquot in prælio obirent, in Martyrum numerum referrentur.

10 Et Hebræos, 12.v.1. *Ideoque & nos per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum.* Ast sic Iesuitæ: Ideoque & nos per effrænem audaciam, omni sceleri copulatam, curramus ad propositum nobis certamen cum Sacerdotibus, Academicis, Regibus, aspicientes in authorem fidei nostræ Iesuiticæ & consummatorē Ignatium Loyolam. *Tam [a] prompti siquidem paratique Iesuitæ sunt ad quoduis scelus perpetrandum, quoduis flagitium, etiamsi certa mors insequatur, subeundum; nec hoc grauatè quidem, & coactim quasi, sed alacriter*

[a] Iub. Euerar. Brit. Rom. p. 35.

alacriter, & hilari animo peragunt, vt qui firmiter credunt, si superiorum iussis exequendis immoriantur, nescio quid se Martyrio maius, & excellentius adepturos.

His, & similibus, vt Hebræos, 11. ver. 36. 2. Cor. 11. ver. 23. & 12. 9. sacrarum literarum testimonijs muniti fuerunt, Reuerendissimus Episcopus Cranmerus, & Reuerendi Episcopi Latimerus, & Ridleius, quando potius mortem oppetere, quam impio Papali iuramento se obstringere voluerunt. His alij, sanè plurimi, qui eos in glorioso certamine secuti sunt, medijs in flammis conflagrantes, ipsis flammis illustriores. His denique qui nunc in Roma, & Hispania sub infernalibus illis furijs cruentissimis & in humanissimis inquisitoribus, tristique sæuioribus Busiride; carceres occupant, catenis alligantur, possessionibus exuuntur, suo sanguine purpurantur. Quibus hęc congruant.

Regij

Regij Prophetæ, PSALM. 116. ver. 15.

יקר בעיני יהוה המותה לחסידיו

Præciosa (est) in oculis Iehouæ mors intentata ijs quos ipse benignitate prosequitur.

S. Cypriani Epistola 9.

O beatam Ecclesiam nostram, quam temporibus nostris gloriosus Martyrum sanguis illustrat. Erat antea in operibus fratrum candida: nunc facta est in Martyrum cruore purpurea.

Et Epistola 24.

Quid gloriosius aut fælicius vlli hominum poterit ex diuina dignatione contingere quam inter ipsos carnifices interitum, confiteri Dominum Deum? quam inter sæuientia sæcularis potestatis tormenta etiam extorto & excruciato, & excarnificato

excarnificato corpore, Christum Dei filium, & si recedente, sed tamen libero spiritu confiteri? quam relicto mundo cælum petisse? quam desertis hominibus, inter angelos stare? quam collegam passionis cum Christo, in Christi nomine factum esse?

FINIS.

Iuramentum fidelitatis.

EGO A. B. verè & ſyncerè agnoſco, profiteor, teſtificor, & declaro in conſcientiâ meâ coram Deo & mundo, quòd ſupremus Dominus noſter Rex *Iacobus*, eſt legitimus & verus Rex huius regni, & omnium aliorum Maieſtatis ſuæ Dominiorum & terrarum: Et quòd Papa nec per ſeipſum, nec per vllam aliam auctoritatem Eccleſiæ, vel ſedis Romanę, vel per vlla media cum quibuſcunque alijs aliquam poteſtatem, nec auctoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum Maieſtatis ſuæ Dominiorum vel Regnorum diſ-

ponendi, vel alicui Principi extraneo ipsum damnificare, aut terras suas inuadere auctoritatem concedendi, vel vllos subditorum suorum ab eorum suæ Maiestatis obedientiâ & subiectione exonerandi, aut vllis eorum licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam aut damnum Maiestatis suæ Personæ, Statui, vel Regimini, vel aliquibus suis subditis intra sua Dominia offerendi. Item, iuro ex corde, quòd non obstante aliquâ declaratione, vel sententiâ Excommunicationis, aut depriuationis facta vel concessa, aut, fienda vel concedenda per Papam, vel successores suos, vel per quamcunque auctoritatem deriuatam vel deriuari prætensam ab illo, seu à sua sede contra dictum Regem, hæredes aut successores suos, vel quacunque absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientiâ; fidelitatem tamen, & veram obedientiam suæ Maiestati,

Maiestati, hæredibus, & successoribus suis præstabo, Ipsúmque & ipsos totis meis viribus contra omnes conspirationes & attentata quæcunque, quæ contra Personam illius, vel illorum, eorúmque Coronam & dignitatem, ratione vel colore alicuius sententiæ vel declarationis, aut aliàs facta fuerint, defendam: omnémque operam impendam reuelare, & manifestum facere suæ Maiestati, hæredibus & successoribus suis omnes proditiones, & proditorias conspirationes, quæ contra illum aut aliquos illorum ad notitiam, vel auditum meum peruenerint. Præterea iuro, quòd ex corde abhorreo, detestor, & abiuro tanquam impiam & hæreticam, hanc damnabilem doctrinam & propositionem, Quòd Principes per Papam excommunicati vel depriuati, possint per suos subditos, vel aliquos alios quoscunque deponi, aut occidi. Et vlteriùs credo, & in

conſcientiâ meâ reſoluor, quòd nec Papa, nec alius quicunque poteſtatem habet, me ab hoc Iuramento, aut aliquâ eius parte abſoluendi: quod Iuramentum agnoſco rectâ ac plenâ auctoritate eſſe mihi legitimè miniſtratum, omnibúſque indulgentijs ac diſpenſationibus in contrarium renuncio. Hęcque omnia planè ac ſyncerè agnoſco & iuro iuxta expreſſa verba per me hîc prolata, & iuxta planum ac communem ſenſum & intellectum eorundem verborum, abſque vllâ æquiuocatione, aut mentali euaſione, vel ſecretâ reſeruatione quacunque. Hancque recognitionem & agnitionem facio cordialiter, voluntariè, & verè, in verâ fide Chriſtiani viri: Sic me Deus adiuuet.

FINIS.

Errata	*Correcta.*
In Epi. dedicatoria. pag. 1. l. 18. τῆς ἀδῆς	τῇ ἀδῇ
Præfat veſtra	veſtræ
Prefat καὶ ἐπίγνωσιν	κατ' ἐπίγνωσιν
Pag. 4. lin. 12. tenere,	tenere.
pag 6. li. penult. diſcens	dicens
pag 9. li. vlt. Epiſcopus	Epiſcopos
pag. 10. lin. 9. Belto	Bellarmino
lin. 11. creari	creare
Pag. 19 li. 7. Præteruectos	præteruecto
l. 21. in mar. 1. Tim. 3. 12.	1. Tim. 2. 12.
p. 44. l 9. μῶραι καὶ ἀπαιδεύτας	μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους.
pag. 52. l. 1. ſpectare Reges	ſpectare ad Reges.
pag. 59. in margin. { Iur. Imperii }	Iur. Imperii
pag. 62. l. 1. τῶν ἐκθὼς	τῶν ἐκτὸς.
pag 69. lin. 6. prima	primò
lin. 15. Eccleſiaſticus	Eccleſiaſticis
lin. 16. Eccleſiaſticis	Eccleſiaſticas
p. 70. l. 13. deeſt in marg.	14. H. 4. 14.
pag. 72. lin 9. Auguſti	*dele*
pag 91 l. 23. deinque	denique.
pag. 96. lin. 14. Prima	prima eſt
pag. 99. lin. 2. iudiciis	indiciis
pag. 103. lin. 18. Rege	Regi
pag. 136. lin. 17 interitum	interritum
pag. 136. l. 4. petiſſe,	petiiſſe,

C 128
612

REPRODUCED FROM

HENRY E. HUNTI

FOR REFERENCE ONLY. N

C 12814
61287 SL

FROM THE COPY IN THE

UNTINGTON LIBRARY

ONLY. NOT FOR REPRODUCTION